BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
1 C
25

p

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

48. 5.10

14
9
A
6.

48
C.
10.

32

ETHICA

P. WOLTERI SCHOPEN.

Digitized by Google

ETHICA
HUMANO-SACRA
Sivè
DISPUTATIONES SCHOLASTICÆ,

Super Materiam Moralem in communi clarâ brevitate, & magnâ claritate concinnatæ,

Potiſſimùm quidem ad mentem Doctoris ſubtilis Scoti, ſed in maximis difficultatibus ſententiarum varietate pro genio veræ ſcientiæ amatorum exornata.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

BIBLIOTHECA SOCIETATIS IESU

AUTHORE
P. WOLTERO SCHOPEN,
DE JULIACO,
Ord. Min. S. Franciſci Conventualium, SS. Theologiæ Doctore ac Profeſſore in Conventu Wratislavienſi p. t. ſtudiorum Regente &c.

NISSÆ, Typis Joannis Joſephi Krembsl,
ANNO M. DC. XCVII.

12. 1. C. 25

Google

DEDICATIO

ILLUSTRISSIMO

Domino, Domino

JOANNI ANTONIO

COMITI

à

SCHAAFFGOTSCHE

S. R. J.

Semper Frey, Libero

Baroni in Trachenberg,

HÆREDITARIO DOMINO

In

Greiffenſtein, Kynaſt,

&

Bober Röhrsdorff &c.

nec

Digitized by Google

nec non

Romanorum & Hungariæ

REGIS

actuali Cammerario.

Inclytæ proſapiæ

Schaaffgotſchianæ

Hæredi expectatiſſimo;

Seraphicæ Minorum

Familiæ

Fautori munificentiſſimo:

CONVENTUALIUM PROVINCIÆ

Bohemiæ

Mœcenati addictiſſimo:

Quondam

PALÆSTRÆ

SCOTISTICÆ

AUDITORI

Gratiſſimo, fœliciſſimo,

optatiſſimo,

In

In cujus

IMMORTALEM GLORIAM,

Et

plauſum feſtinat

humillimus, & obſequioſiſſimus
Servus.

Fr. Wolterus Schopen, de Juliaco.

Ll.

LICENTIA ORDINARII

REverendiſſimi, & Illuſtriſſimi Domini, Domini Joannis Henrici Scvvertz, S. R. I. L. B. de Reeſt, Hæreditarij in magno Petervvitz, Lövvenſtein, & Niclasdorff; Cathedralis Eccleſiæ Wratislavienſis Prælati Scholaſtici, Sereniſſimi Principis, ac Epiſcopi Wratisl. Franciſci Ludovici (Tit.) Conſiliarij, & in Spiritualibus Vicarij Generalis &c.

Cùm Ethica, & Animaſtica tradita à (Tit.) P. Woltero Schopen, nihil fidei Catholicæ, aut bonis moribus contrarij contineat, imprimatur.

Jo. Henr. Scwertz, mpp.
qui ſupra.

(L. S.)

Cenſurata & approbata
cum permiſſu ſuperiorum.

PRO-

PROLOGUS
IN ETHICAM.

MOralem Philoſophiam nonnulli vocant Ethicam, quemadmodum Phyſicam appellant naturalem, ſed neutrum benè aſſeritur, niſi per Synechdochen, ſiquidem Ethica eſt una duntaxat claſſisPhiloſophiæ moralis, *vide diſtrib. in mea Dial.* cæterùm ùt pars Acroamatica naturalis, id eſt: Phyſica Scholaſtica, plurimùm deſervit reliquis conſpeciebus addiſcendis, ità meritò inter morales facultates primô locô traditur Ethica: pro cujùs quidditate, qualitate, ac fine penetrandis, ſit

DISPUTATIO UNICA.
De quidditate, Objecto, ac Fine Ethicæ.

PHiloſophiam igitur moralem ritè dixeris compagem diſciplinarum practica-

 rum,

rum, quibus ſocietas humana dirigitur, diviſa in Ethicam, Politicam & Juridicam, ſubdiviſa l. c. & út conſtet uberiùs, ſit

QUÆSTIO I.

Quid, & qualis ſit Ethica?

DIco: Ethica benè definitur: *ſcientia practica actiones humanas dirigens*. Ità in re communiter Ethici, licèt alij *artem*, alij *prudentiam* ſinè rigore dialectico vocent.

Præmittenda eſt explicatio quid nominis, & diviſionum: porrò nomen Ethica interpretatur vulgariter ἠθικὰ ab ἀπὸ τοῦ ἔθους id eſt: *conſuetudine*, quia hominem virtute imbuit, quæ aſſuetudine acquiritur ex Ariſt. 2. Eth. c. 1. vel ab ἀπὸ τῶν ἠθῶν id eſt: moribus &c. natura verò ejus eſt dirigere *actiones humanas*, id eſt: *actiones cum ratione, & libertate* factas, (ex quo vides aliud eſſe actionem humanam, aliud actionem hominis, v. g. pueri dicuntur agere actionibus *hominum*, non *humanis*, ſiquidem omnis actio humana eſt & hominis, ſed non è-contra) proinde alia eſt *Ethica incompleta*, *vel ingenita*, alia *completa & acquiſita*, prima ſunt judicia de moribus, vel à natura indita, vel facilè perſpecta, v. g. *homo debet prudentior eſſe feris in agendo &c.*; poſterior eſt habitus, vel concluſio ex talibus principijs juxtà regulas infallibiles deducta: de po-

ſte-

ſteriori deinceps dicturi ſumus. Hæc autem ſecernitur in Humanam, & Sacram, id eſt: *in talẽ*, quæ dirigit mores præſcisâ quâcunque revelatione, cujusmodi Ethicam Ethnici Philoſophi habuerunt, & in *talem*, quæ dirigit mores dependenter à revelatione, qualem habebant in lege moſaica, & nunc Chriſtiana, ex quo

Colliges duo: *primùm* quæſtiones Ethicas plurimas à catholicis reponi in Theol. Speculativa, vide D. Tho. in ſecunda ſecund:, Sco. in 2. Sent., & in 4. eorumque diſcipulos, & ſic ſolvi dubium an Ethica & Theol. diſtinguantur; *alterum* diviſionem Kircheri, quam ſequitur Sannig, Ethicæ in Monaſticam, Oeconomicam, & Politicam minùs valere, ſi Ethica ſumatur pro Philoſophia morali in communi, nihil ſignificare ſi pro una ejuſdem claſſe. Nunc

Probatur concluſio ex regulis bonæ definitionis in Dial. revidendis: & quòd ſit practica ſequitur, quia ordinata eſt per ſe ad mores componendos, & actus liberos, qui ſunt praxes, dirigendos. Confirmatur ex arte combinatoria per ☰ & ⊙ &c. hoc eſt: quia *perturbationes* mentis cum appetitu ſenſitivo componere docet, & media ſuggerit ad conſecutionem virtutum &c. tandem communi calculo receptum videtur.

Obij-

Obijcies I. Ethica habet rationem artis, & prudentiæ; Ergò non eſt ſcientia. Probatur Antecedens ex definitione artis, & prudentiæ. Reſpondeo: ſub alia, & alia ratione eſſe ſcientiam, & prudentiam, non verò artem, quia ars non eſt ex præmiſſis infallibilibus: hoc tamen illi non audent dicere, qui Logicam artem vocant.

Inſtabis: ſub nulla ratione ſcientia eſt, quia nec verſatur circa ideam, neque eſt de univerſalibus. Reſpondeo Negando Aſſumptum: & dico actus Ethicos exercitè quidem eſſe ſingulares, ſed ſignatè de natura virtutis, & aliorum agendo manet perpetua: imò & Ethicam, & omnes ſcientias ſecundùm ideā conſcribendas eſſe, nuper legi in templo virtutis Ethicæ Sagittarij.

Inſtabis: ideæ illæ ſunt fictæ, quia Plato in Timæo ait, ante cœli ortum fuiſſe hæc tria, exiſtens, locum, generationem, quod nullus Ethicus Chriſtianus docet. Reſpondeo: quòd ibidem dicat homines paucos eſſe intelligentiæ participes, ſi ſumat hæc tria phyſicè, erravit, ſi metaphyſicè, & conſequenter ad verba in mea Metaph. ex Timæo poſita: divini ingenij fuit. Nec dicas: cur ergò contra P. Hermann docuerim, Platonem de loco non

ſom-

ſomniâſſe, ratio fuit, quia Author ille, & ſimiles perperam ad ſenſum reducebant, quod Plato abſtractiſſimè voluit.

Inſtabis: licèt verſaretur ſignatè circa ideam, tamen habet pro fine opus; Ergò eſt ars, & quia ad bonum, vel malum inclinat, prudentia erit. Reſpondetur ab aliquibus: Ethicæ aliam eſſe partem Theoricam, aliam Practicam, vide Piccol. ſed dico: inferri non eſſe ſcientiam ſpeculativam. C. practicam N. & retorqueo de Theologia ſcholaſtica.

Obijcies II. data definitio convenit Theologiæ, imò & Politicæ, Oeconomicæ, ſiquidem Ethicæ facultates ſunt ordinatæ ad mores. Reſpondeo: Theologiam dirigere mores in ordine ad finem ſupernaturalem, Politicam verò minùs univerſaliter. Nec dicas: Ethicam ſacram quoque ad finem revelatum tendere, hæc enim vel non differt, vel pars Theologiæ eſt, hinc factum quòd Ethicalia theologicis miſceantur: alij dicunt, Ethicam dirigere externos actus, Theologiam internos, alij Ethicæ finem moralem, Theologiæ ſpiritualem ponunt.

QUÆSTIO II.

Quid ſit Objectum Ethicæ?

DIco: actiones humanas eſſe objectum Ethicæ, ita Ariſt. in Sexto Mor. Nicomach. c. 8. & alibi, Kircherus, Piccol. contra nonnullos volentes eſſe virtutem, fœlicitatem naturalem, affectus hominis, imò ipſum hominem quà moribus imbuendum, quos ſequitur Sannig citans Pontium pro virtute, qui hanc quæſtionem nec tractat, ſed in proloquio omnes opiniones probabiles vocat, & fœlic. natur. ſtatuit.

Probatur primò: objectum attributionis fit ex materiali, & formali, ſed materiale ſunt actiones, formale eſt ratio humanitatis, id eſt: quatenus cum ratione liberæ, quod ſignificat moraliter virtuoſæ; Ergò, &c. Probatur Minor; tùm quia de illis monſtratur in Ethica quòd & quomodo ſint liberæ, quomodo ſubjiciantur legibus; tùm quia Ethica aliud non intendit quàm eas dirigere, ac per illas virtuosè elicitas finem extrinſecum aſſequi; tùm tandem quia præſupponuntur quòd ſint, & quid ſint, ſaltem minùs perfectè. Confirmatur poſſeſſione trium conditionum in Logica requiſitarum.

Probatur ſecundò: Ethica eſt generalis quædam prudentia, ſed hæc virtus habet actio-

actiones honeſtas pro objecto ; Ergò & Ethica actiones generali honeſtate affectas, id eſt: humanas.

Probatur tertiò: neque virtus, neque ſummum bonum naturale, vel fœlicitas, neque affectus, neque homo quà moribus inſtruendus, ſunt objectum ; Ergò, &c. Probatur Antecedens: ſummum bonum eſt finis Ethici, & virtus eſt medium ad finem illum conſequendum ; Ergò horum nihil eſt objectum Ethicæ: Probatur Conſequentia: amor Dei, & virtus Theologica, non eſt objectum Theologiæ Supernaturalis ; Ergò, &c. niſi virtutem moralem conſiſtentem in humanitate pro formali objecto poneres: deinde affectus conditionibus carent, & homo licèt materiale objectum foret, quà tamen beabilis, vel morigerandus, non eſt ratio intrinſeca & proxima, ſub qua tractatur; Ergò horum nihil ſtatui poteſt, ſed ùt evidentiùs procedam de ſingulis

Obijcies I. ad hominem informandum moribus reducuntur omnia; Ergò ille eſt objectum. Reſpondeo Diſtinguendo Antecedens: remotè C. proximè N. nam libertas, leges, conſcientia, potiùs actiones concernunt. Sic etiam dic, licèt afferant alias Philoſophiæ moralis claſſes, v.g. Oeconomicam.

Inſtabis: objectum Medicinæ non ſunt affectus, vel actiones, ſed corpus ſanabile, neque actiones Phyſicæ, ſed corpus objectum ponitur; Ergò & proximè reducenda ſunt moralia ad hominem. Reſpondeo Negando Conſequentiam: quia ratio ſub qua, puta ſanabilitas, primò convenit corpori, non actioni, at moralitas conſiſtens in ratione, & libertate, primariò actionibus convenit. ex his ſolvitur argumentum Dithmarſi, Conimbric. & aliorum.

Ocijcies II. finis & objectum ſunt idem, ſed vel virtus, vel fœlicitas eſt finis Ethicæ; Ergò, &c. Reſpondeo Diſtinguendo Majorem: finis qui C. finis cui N. ſic Diſtinctâ Minore N. Illationem. Vide Logicam.

Inſtabis: virtus, vel ſummum bonum ſunt finis qui; Ergò, &c. Probatur Antecedens: nihil aliud intenditur ab Ethica facultate, quàm poſſeſſio virtutis, ac tandem beatitudinis. Reſpondeo: virtutem intendi ùt rationem formalem, beatitudinem verò ùt finem extrinſecum.

Objicies III. actiones conſiderantur in alia facultate. Nec dicas: ſub eodem motivo N. diverſo C. Contra eſt: quòd multa deſint, ob quæ nihilominus objecti rationem amittunt; tum quia neſcitur ante Ethicam, *quid ſit* actio humana; tùm quia ſub hac ratione in ſecundo Sentent. de ijs

agit

agit Sco. tùm quia actiones Logicæ non ſunt objectum illius ; Ergò nec Ethicæ. Reſpondeo : ante Ethicam ſciri *quod ſint*, & *quid* inchoàtivè, in quantum diſcernit quilibet hominem habere aliquid commune cum brutis, aliud differens, maximè jam uſum rationis exhibens: tractatus de actibus humanis eſt Ethicæ Summa. Ad ultimum : per actiones non debent intelligi directæ cognitiones Ethicæ, hæ enim ſunt ipſa Ethica, ſed objectivæ illæ, quas homo humanitùs elicit.

Inſtabis: actiones illæ fiunt in Ethica, & ſunt ratio quà homo fit Ethicus; Ergò ſicut directio non eſt objectum Logicæ, ſed rectè cognitum, vel ſyllogiſmus, ità & homo. Reſpondeo: ſicut homo inſtruendus regulis infallibilibus non eſt objectum Logicæ docentis verum, ita nec informandus moribus in facultate humana morale bonum aſſerens.

Inſtabis: Ergò ſicut ſyllogiſmus eſt objectum, ità & virtus. Reſpondeo: ſi virtus ſumatur pro actione moraliter virtuoſa C. ſi pro ſola moralitate, Subdiſtinguo : formale C. attributionis N. & ſic abſtractum eſt, quaſi virtuoſitas.

QUÆSTIO III.

An Ethica ſit utilis, & neceſſaria?

DIco: Ethica non modo plurimùm eſt utilis, ſed omni homini, præſertim ſcientifico, ſimpliciter neceſſaria. Ità ex profeſſo contra illos, qui licèt verbis non negent utilitatem ejus, tamen factis ùt plurimùm, præſertim contra Juriſtas, qui, ùt ait quidam, vix è ſcholis trivialibus exempti, & nè vix quidem Priſciani ferulæ manus ſubduxerunt, neglectis non ſolùm aliorum ſcientiarum adminiculis, ſed Ethicæ ipſius præſidiô poſt-habitô, ad amplos Jurisconſultorum commentarios proruunt, Baldum crepant, Bartolum ſomniant, Ulpianum terunt, atterunt, ſpe maxima, ſed diſpari ſucceſſu, niſi fumô! nec mirùm, quia ratio hæc ſtudiorum præpropera & præpoſtera neſcio an propriâ culpâ, vel Philoſophorum incuriâ, vel Ethicam omninò omittentium, vel triſolio percurrentium, ut plenis buccis materiam Ariſtotelicam evomant.

Probatur primò ex axiomatibus: *qui proficit in litteris, & deficit in moribus, plus deficit, quàm proficit*; Ergò moralis ſcientia mores dirigens, homini, præſertim ſcientifico, eſt neceſſaria; deinde Phyſica requiritur ad Medicam, quia *ubi deſinit Phyſi-*

cus,

cus, incipit Medicus; Ergò *cùm ibi incipiat Iɛtus, ubi deſinit Ethicus*, maximè Juriſtis deſerviet: rurſum: *dimidium facti, qui benè cœpit habet*, ſed principia Jurisprudentiæ, Theologiæ, imò & aliarum facultatum humanarum prælibantur in Ethica; Ergò &c. Confirmatur: ſi non ſcias de virtute morali, lege, libertate, ac conſcientia loqui, quomodo Theologus, Medicus, vel Juriſta eris?

Reſpondent: hæc vel pertinere ad Theologos, vel permiſcuè in hac, & illa facultate tradi, pro cujuslibet Profeſſoris genio, & ingenio. Contra: licèt hoc ad minus fieri deberet, convincuntur plurimi Juriſtæ qui nihil de conſcientia, libertate, ac virtutibus moralibus ſciunt, taceo de fœlicitate genuina, his ſufficit Epicureos, vel Pſeudopoliticos eſſe, *virtus jacet*, quòd non modo de ſupernaturali, ſed *morali* Ethnicis ipſis *familiariori* apud hujuſmodi Oeconomos per duplex CC. verificatur.

Probatur ſecundò: Ethica vel eſt indoles ingenita de ratione vitæ benè inſtituenda, vel notitia deducta circa principia generalia, ſed primô modô cuilibet eſt neceſſaria, ita ut vel eam poſſideat, vel per culturam acquirat; ſecundó modó ſcientificis. Confirmatur: Theologia ſupernaturalis incompletè eſt neceſſaria cuili-

bet pro fine ſupernaturali; Ergò Ethica pro naturali. Præterea ab inductione; ſi Theologus non habeat virtutes homileticas, dicitur Moroſophus, ſi Juriſtæ deſint generalia ſupra aſſignata, non Jurisconſulti, ſed ſtulti gloriam ſibi vendicat.

Reſpondent aliqui: hæc inferre neceſſitatem expedientiæ C. rigoroſam N. Contra: ſicut impoſſibile eſt, eſſe ſcientificum ſinè Dialectica, ità & eſſe moraliter bonum ſinè Ethica; igitur hæc diſciplina non tam eſt neceſſaria homini jam virtutibus imbuto, quàm imbuendo.

Obijcies: Mathematica, Metaphyſica &c. acquiri poſſunt, & ſœpè acquiruntur ſinè Ethica; Ergò non eſt neceſſaria cuilibet ſcientifico. Reſpondeo: ſicut ad minus Ethica incompleta præcedit, & ita plerumque incompletos ſcientificos eſſe, præſertim in genere moris.

Inſtabis: plurimi juvenes perfectè callent hanc, vel illam ſcientiam, & tamen non ſunt Ethici, quia Ariſt. inquit. 1. Eth. juvenes non poſſe benè Ethicam habere. Reſpondeo ùt ſupra: has eſſe ſcientias minùs humanas. Ariſt. explico de Ethica ſecundùm omnes partes, & maturè completa, quia judicium ſolet rarius eſſe ante annos, niſi malitia ſuppleat ætatem. Hinc Tartaretus ait: juvenes virtute, non ætate,

te: tandem illi non ſunt ſœpè Ethici, ſed depravati, deberent autem eſſe.

Quæres: an bonus Ethicus ſit ſemper bonus Chriſtianus? Reſpondeo cum diſtinctione: qui eſt bonus Chriſtianus in eſſe exercito, ſemper quoque bonus eſt Ethica bonitate; non ècontra; item poteſt aliquis eſſe bonus Ethicus ſignatè, & exercere morales nequitias, ſicut concionari multa bona, non eſt ea præſtare, Ex his collige cætera.

TRACTATUS UNICUS.

PLurimi ſunt Commentarij in libros Ethicorum , tam *ad Nicomachum*, quàm *magnorum moralium* , ac *ſcriptorum ad Eudemum* , quin viro provectò prodeſt ipſa Ariſtotelis opera cernere, hinc mens non eſt particularia quæque perſtringere, ſed de ſingulis quæſtiones ſelectiores, univerſalesqne exagitare methodô hactenus ſervatâ, ſivè alij ea Theologicis, ſivè alij alijs materijs immiſceant. Sit

DISPUTATIO I.

De Fœlicitate hominis.

NOn igitur de fœlicitate, ac beatitudine ſupernaturali ſupponendum eſt, quòd agam, hæc enim in Tractatu de Viſione beata tradam, ſed ſummo bono humanæ, ac ſacræ Ethicæ communi.

QUÆ-

QUÆSTIO I.

In quo conſiſtat Fœlicitas hominis?

Dico: *Fœlicitas hominis agnoſcentis Deum, & immortalitatem animæ, conſiſtit in perpetua contemplatione Dei, hominis verò Athei, ac ſupponentis animam cum corpore mori, beatitudo eſſet, habere tranquillitatem animi.* Concluſio ſic propoſita eſt à nemine, quoad primam partem tamen facilè eſt omnium Chriſtianorum; quoad alteram verò conſenſerunt Zeno, Tymon, Plato, Socrates, & alij Ethnici Philoſophi, eſtò imperfectam de Deo, ac animæ immortalitate notitiam habuiſſe videantur: contra Epicureos, qui locabant fœlicitatem in bonis corporis, diverſimodè tamen, alij in honoribus, alij in divitijs, alij in potu & eſca, alij in delectatione venerea, alij in delectatione generica. Quemadmodum & illi qui eam docebant conſiſtere in bonis animi, inter ſe diverſi erant; alij enim ajebant, conſiſtere in contemplatione, alij in complacentia: contra quos omnes chriſtiana veritas nos inſtruit, finem ultimum, ac beatitudinem objectivam eſſe Deum, formalem verò contemplationem Dei realiter ſumptam, præſcindo enim an primariò in actu voluntatis, an intellectûs, an æquè primò in utroque; quòd ſi tamen

Atheus foret, qui putaret animam immortalem, ille fœlix eſſe poſſet tranquillitate animi, ſi verò nec Deum agnoſceret, nec animæ immortalitatem, propriè fœlix eſſe non poſſet, cùm perpetuitas ad minus ſit proprietas veræ beatitudinis, ejus tamen fœlicitas potior eſſet habere animum tranquillum, quàm ſpeculativum. His præmiſſis.

Probatur quoad primam partem: hominis ſupernaturaliter cognoſcentis Deum, ac animæ immortalitatem, finis ultimus objectivus eſt Deus ſupernaturaliter videndus, & fruendus; Ergò finis hæc naturaliter cognoſcentis, eſt Deus naturaliter contemplandus. Confirmatur: finis talis hominis in nulla re creata eſſe poteſt; Ergò in ſolo DEO. Probatur Antecedens: omne creatum vel ad corpus, vel ad animum pertinet, ſed nihil horum eſt ſatiativum perfectè; Ergò &c. Probatur Minor: ſi ad corpus, vel ſunt ſanitas, pulchritudo, fortitudo; vel divitiæ, poteſtas, dignitas &c. ſed hæc quàm ſunt caduca, pleni ſunt omnes libri, & ſola ſufficit experientia; ſi verò ad animum, vel ſunt actus intellectûs, v. g. ſcientia, ſapientia, prudentia, vel actus voluntatis, v. g. amor, benevolentia, &c. atqui nec iſta quietabunt hominem DEI notitiam habentem, niſi

niſi ad ipſum DEum referat; Ergò &c. Hæc ratio poſſet illuſtrari rythmis ex cantilena vulgari *cur mundus militat*; verſibus Poëtarum, authoritatibus Scriptorum ſacrorum, & profanorum; Chriſtiana & Ethnica authoritate; vide Eccleſ. Senecam ad Lucullum, & Epiſt. 74. Simpliciū, Philebum Plätonis, Ariſt. hic ubique, & alios, ſed hæc brevitati contrariarentur, ſufficit quòd hæc omnia vanitas.

Probatur & altera pars: vel Atheus ſupponitur animæ immortalitatem agnoſcere, vel non, ſi ſecundum, propriè fœlix eſſe non poteſt, quia fœlicitas eſt ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus, ex Boëtio 3. de conſol. proſa 2. conſonante Aug. 5. de civ. Ergò cùm talis habeat occaſionem dolendi de tranſitu ſuæ beatitudinis, omnia bona perfectè non poſſidet; ſi verò agnoſcat animæ immortalitatem (præterquam quòd hoc difficilius ſit, quàm Deum cognoſcere) ejus beatitudo nequeunt eſſe bona fortunæ, corporis, ac intellectûs; Ergò in tranquillitate animi. Probatur Antecedens multipliciter: talis agnoſceret inconſtantiam fortunæ, videret ſibi poſſidenti honorem deeſſe divitias, vel ſi illas adjunctas haberet deeſſe ſanitatem, vel ſi & illam aliud quicquam deeſſet; Ergò illius appetitus nunquam perfectè ſatiaretur.

Reſpondent: beatitudinem non poſſe conſiſtere in honore, v. g. ſolo C. junctis alijs internis,& externis bonis N. & dicunt hæc omnia ſimul debere poſſideri, & ijs ſimul poſſeſſis, haberi beatitudinem primariò conſiſtentem in gloria, ſecundariò in reliquis. Contra: nec hoc ſenſu in alio conſiſtere poteſt, quàm animi tranquillitate, id eſt: pleno contento. Probatur: vel enim talis poſſeſſione omnium horum eſt plenè ſatiatus, vel non, ſi ſecundum, non erit perfectè fœlix, ſi primum, hæc omnia importantur in obliquo, & in recto fœlicitas erit iſta tranquillitas.

Reſpondent alij: iſtam tranquillitatem eſſe beatitudinem formalem. C. objectivam N. Contra: formalis beatitudo eſſet cognoſcere illam tranquillitatem, & ſibi in ea complacere; Ergò ipſa tranquillitas foret objectiva in recto, bona verò illa in obliquo. Probatur Antecedens: ſi enim non cognoſceret, nec ſibi complaceret in tali tranquillitate, haberet ſe ùt infantes, & bruta, qui ſœpè ſuâ ſorte contenti gaudent, ſed hoc ſuum gaudium non intelligunt. Confirmatur: beatior eſt poſſidens 100. aureos, & contentus ùt ſex, quàm poſſidens 10000. & tantùm contentus ùt duo; Ergò beatus ſimpliciter, plenè contentus, aut tranquillus; hinc eſt il-

lud:

lud: *fœlix qui ſua ſorte contentus*, & apud malè contentos: *quo plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ.*

Obijcies I. contra primam partem: res creata poteſt eſſe perfectè ſacietativa appetitûs humani; Ergò DEus non eſt neceſſariò ultimus finis. Probatur Antecedens: proportionatum appetitui humano poteſt illum ſatiare, ſed; Ergò. Reſpondeo Negando Antecedens, & Probationis Minorem Diſtinguo: appetitus humanus entitativè eſt proportionatus. C. in appetendo N. ſiquidem ſemper plus, & plus appetere poteſt, donec infinitum poſſideat, hinc in appetendo eſt quodammodo illimitatus.

Inſtabis: appetitui entitativè finito ſufficit finis finitus; Ergò &c. Probatur Antecedens: entitativè infinito ſufficit infinitus finis; Ergò à pari. Reſpondeo diſparitatem eſſe: quia infinitus utróque modô, id eſt: in ente, & appetendo talis eſt, non autem finitus.

Inſtabis: vel DEus attingeretur finitô modô, vel infinitô, quidquid dicitur eſt contra; Ergò manet argumentum. Si enim primum, poteſt appetere ultrò & ultrò, ſi ſecundum, & in appetendo eſſet improportio. Reſpondeo: quòd finitô modô,

modô, & Nego quòd poſſit ultrò petere, quàm ejus inclinatio eſſentialis permittit.

Inſtabis: ſi creatura contemplans DEum non poſſet ultrò & ultrò appetere, ſequeretur omnes debere æqualiter eſſe beatos, id eſt: æqualiter videre DEum, ſed hoc non fit in ſupernaturalibus; Ergò nec in naturalibus. Reſpondeó Diſtinguendo Sequelam: æqualitate gradûs, vel modi N. æqualitate objecti finiti, vel infiniti. C. DEus enim ſemper eſt infinitum objectû, licèt plùs, minùs videatur.

Inſtabis: erit æqualitas modi objectivi; Ergò & formalis. Antecedens patet: quia DEus eſt ſemper objectum infinitum. Reſpondeo Negando Antecedens: videtur enim quantum vult, & quomodo.

Obijcies II. bonum ùt ſic eſt latius quàm DEus; Ergò ſicut verum in communi eſt finis intellectûs, ita bonum voluntatis. Reſpondeo Diſtinguendo Antecedens: ſecundùm dici, vel prædicari. C. in eſſendo N. DEus eſt omne bonum eminenter. Deinde N. Suppoſitum quòd idea boni ſit appetibilis, ſed cognoſcibilis, vide Plato: in 7. de Repub.

Obijcies III. poteſt aliquis affluere divitijs, honoribus, &c. & optare perpetuò illis frui; Ergò ſuam fœlicitatem naturalem in illis poneret, & non in Deo. Antecedens

dens conſtat experientiâ. Reſpondeo Diſtinguendo Conſequens: fœlicitatem accidentalemC.eſſentialem, ac perpetuam N. neque dicas: optaret ſibi hæc pro perpetuo, ex hoc patet non eſſe finem ultimum, & ſi perpetua forent ultrò affectus protenderetur, hinc

Colliges: practicè plurimos Chriſtianos, auſim dicere Catholicos, & naturalem, & aliam beatitudinem reputare terreſtria, crediderim tamen nomine tales, & in re eſſe multos Atheos: pro quibus

Obijcies IV. Atheus eſt duplex, ſcilicet ſupponens animam mori cum corpore, & ſupponens circuitum animarum in perpetuum, ſed neutrius fœlicitas propriè conſiſtit in tranquillitate; Ergò, &c. Probatur Minor: non primi, quia ille potiùs delectatione hac, vel illâ fruitur, quoniam poſt mortem nulla voluptas; nec alterius, quia ille tendere deberet ad honorem, ùt tandem ſummus evaderet.

Reſpondeo Negando Minorem: ad primam Probationem ex dictis conſtat falſitas Suppoſiti; ad alteram dico: has tendentias eſſe curas & inquietes, gaudium verò ſequeretur ex talli tranquillitate.

Inſtabis: Chriſtus fuit perfectè beatus, & tamen timorem, curas, ac ſimiles affectus habuit; Ergò his non obſtantibus fœli-

li-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

licitas conſiſtere poſſet in illo, quo cujuſque genius illum traheret, v. g. Atheus in honore, vel manſura fama; alter in poſteris divitibus; alius in fruitione bonorum dierum fœlix eſſe poſſet. Reſpondeo: hoc in Chriſto ſummè miraculoſum fuiſſe, at naturaliter hæc non permittunt fœlicitatem perfectam, ad ſummum tales inadæquatè beati eſſent, niſi iſta contentatio adeſſet.

Inſtabis: ille dicitur beatus, qui poſſidet quod cupit, ſed alius cupit Venerem, alius Bacchum, alius petit eſſe in excelſis; Ergò non eſt una omnium beatitudo. Reſpondeo Diſtinguendo Conſequens: in recto N. in obliquo tranſeat, ſic dico: quia ſucceſſivè unum poſſidens, alia petere conſuevit.

Colliges: homines Atheos fruſtra politicos eſſe, quadrare ipſis meliùs theoricam vitam in ſtatu monaſtico, niſi velint vivere ùt pecora, & eſſe fœlices hoc, vel illo paſſu, & non intelligere, in quo talium fœlicitas conſiſtat: intelligė Monaſtico-Ethico, abſtruſo ac ſolitario.

QUÆSTIO II.

An homo in moralibus actionibus teneatur habere finem bonum?

DIco: homo in moralibus, aut humanis actionibus tenetur habere finem bonum,

num, bonitate vera, vel apparenti, vel præfixa. ita Sco. quodl. 16. & in 3. d. 33. in 4. d. 49. q. 10. & alibi contra Nominales volentes & malum ſub ratione mali appeti poſſe, quibus videntur ſubſcribere Iribar. Shgemma, & negatâ omiſſione pura conſentit Pontius, ſed ùt debitè intelligatur.

Declaro prævié conclusionis ſenſum, qui talis eſt: an actus à ratione & libertate dependens, poſſit pro fine habere malitiam, & dico quòd non, ſed quòd debeat habere finem bonum, ſivè utilem, ſivè jucundum, ſivè honeſtum, idque vel verè, vel apparenter, vel præfixè, & non eſt quæſtio de actu laudabili, ille enim ſemper debet eſſe ex fine bono, *bonum enim ex integra cauſa, malum ex quolibet defectu*, ſed de morali, vel humano quocunque ſivè laudabili, ſivè vituperabili, ſivè indifferenti ſi daretur.

Porrò & advertendum eſt, quòd plurimi juniores hæc confundant: bonum Morale, & Theologicum, ex quo monſtroſæ doctrinæ fiunt: eſt ergò quantum ad præſens, *actus Moraliter bonus*, qui *fit cum libertate, & eſt conformis rationi*, malus *qui fit cum libertate, & eſt difformis rationi*, de indifferenti infra; quæ benè ſunt conſideranda, nam bonitas & malitia Theologica aliud ſuperaddit, hìc ergò præſciſè de humanis quà talibus diſcurrendo

Pro-

Probatur primò: *nemo ad malum intendens operatur*, ſed hoc nequit de malo materialiter intelligi; Ergò ſemper debet eſſe finis bonus unâ, vel alterâ bonitate.

Reſpondent: peti principium per axioma. Contra: eô utuntur Ariſt. 1. Ethi. qui 2. Phyſ. 31. bonum & finem convertit; item D. Anſ. lib. de lib. arb. & alij.

Probatur ſecundò ratione: ſi homo non teneretur habere finem bonum, maximè illo careret, quando v.g. non vult utile, jucundum & honeſtum, ſed videtur velle turpe, inutile & moleſtum, v.g. mortem ſui, &c. Sed in illo caſu adhuc habet finem bonum apparentem, vel præfixum; Ergò, &c. Major eſt fundamentum AA. Minor Probatur: vel appetit tale quid cum fine, vel ſinè fine, ſi ſecundum, non eſt actus humanus, ſed motus primus, vel ſimile quid, ſi cum fine, vel illo ſibi complacet, vel non, ſi ſecundum, appetet, & non appetet, ſi primum, omnis complacentiæ objectum eſt bonum, ſed; Ergò.

Reſpondent: complacere ſibi amore concupiſcentiæ N. amore amicitiæ C. Contra: ſemper arguo vel mortem, &c. petit cum fine, vel non; deinde nec charum & amicum eſſe poteſt, niſi bonum; Ergò datò quòd feratur ſolo amore amicitiæ in objectum, neutiquam ſub ratione mali.

Re-

Reſponderet Poncius: debet habere finem bonum determinatione morali C. phyſicâ N. Contra: phyſicè impoſſibile eſt moraliter agere, id eſt: cum fine, niſi cum bono. Nec dicas: bene agere C. malè, vel indifferenter N. Contra: eòipſo quòd actus ſit imputabilis ſivè ad laudem, ſivè vituperium, agens ſibi complacet, imò ſi diceret nolo mihi complacere, & volo hoc malum, quia malum eſt, jam præfigeret directè ſibi bonum jucundum.

Reſpondent aliqui negando Suppoſitum quòd detur bonum præfixum, & quòd voluntas tale reſpiciat. Contra: non datur quidem à parte rei, ſed intentionaliter; & ſi petas an præcedat illud eſſe intentionale actum voluntatis? dico quoad eſſe voliti concomitari.

Obijcies: intellectus poteſt tendere in falſum ſub ratione falſi; Ergò voluntas ſub ratione mali in malum, idque ſœpè Sco. inſinuat in 1. d. 1. in 2. d. 43. Reſpondeo Negando Conſequentiam: quia omnis nolitio virtualiter eſt volitio, non omnis diſſenſus eſt aſſenſus, item voluntas eſt electiva, electio autem nunquam eſt circa malum; Sco. ab alijs problematicus dicitur, ego verò eum intelligo de malo materiali.

Inſtabis: voluntas eſt potentia libera libertate ſpecificationis, & contrarietatis, ſed bonum formaliter, & malum formaliter contrariantur; Ergò voluntas potiùs in malum, quàm intellectus in falſum tenderet. Reſpondeo Diſtinguendo Majorem: libertate contrarietatis ad bonum & malum materiale. C. formale N. deinde ad concluſionem dico: intellectus rationes abſtractas percipere, voluntatem minùs, niſi ea quæ intellectus præcognoſcit, nihil enim volitum niſi præcognitum.

Inſtabis: principium petitur, nam videndo malum, & cognoſcendo quà tale, voluntas eſt libera utraque libertate. Reſpondeo Negando Aſſumptum: ſpecificationis duntaxat manet, hinc ſi Pontius quæreret an ad bonum determinaretur Phyſicè, vel Moraliter? dico: quòd phyſicè, ita tamen ut ſpecificationis libertas maneret.

Inſtabis: ſi malum quà tale non poſſet appetere, nec minus bonum comparatum ad majus poſſet amplecti, hoc videtur contra experientiam. Reſpondeo pro nunc: nec minùs bonum in concurſu appeti poſſe niſi illi ad minùs præfigatur major bonitas, v. g. quia ſum liber, minùs amplectar, tali caſu uſus libertatis junctus bonitati aliàs minori præponderatur; alij di-

cunt

cunt: quia minùs bonum verè bonum eſt etiam comparativè.

Inſtabis: licèt non poſſet tendere in malum illud volendo, tamen nolendo. Reſpondeo: quotiescunque eſt nolitio humana, virtualis ad minimùm eſt volitio propter finem bonum.

Inſtabis: multi habent finem malum, objectum, & circumſtantias cum malitia. Reſpondeo Diſtinguendo Aſſumptum: in ente C. in mente N. hoc eſt, finis quidem in ſe malus eſt, apparenter tamen, vel præfixè bonus, v.g. odio volens habere DEum, etiam hoc noſcens eſſe malum, & ideo volens, ſibi pro fine ponit vel bonum conſiſtens in libertatis uſu, vel aliud præfixum quoddam.

Inſtabis: ſciens odium DEI, v.g. eſſe malum, nullum invenit bonum honeſtū, delectabile, vel utile in eo, & tamen libere poteſt illud velle. Reſpondeo: ſi velit moraliter quia malum, ad minùs bonum delectabile ſibi præfigere, uti præfixit Lucifer appetens æqualitatem DEI ex Sco. in 2. Sent.

Inſtabis: voluntas creata poteſt aliter tendere in malum, quàm Divina, ſed hæc malum materiale poteſt velle; Ergò illa formale. Reſpondeo Diſtinguendo Majorem: ex parte objecti ùt ſic N. ex parte

actûs. C. ait enim Sco. ci. in 2. quòd objectum DEI, & humanæ voluntatis ſit idem, ſed homo apparens bonum poteſt proſequi, DEus tantùm fugere, & verum amplecti. Ex his ſimilia plura ſolves, v. g. ſi quis petit annihilari, amico malum &c. ſemper eſt, quia intendit aliquid boni.

QUÆSTIO III.

An Homo poſſit habere duos fines ultimos totales?

DIco: Homo in actionibus moralibus non poteſt habere duos fines ultimos ac totales. Ità cum Sco. in 3. d. 1. q. 2. cum ſuis, & Thomiſtæ, contra quamplures RR.

Probatur primò ex dictis de duabus cauſis totalibus efficientibus in Phyſica. Deinde ex illo Evangelico, non poteſt quis ſervire DEO & Mammomæ; & Matth. 6. nemo duobus dominis poteſt ſervire; item ex ſuppoſito quòd in finibus non detur proceſſus in infinitum ex 8. Phyſ. tex. 34. unicus tantùm poteſt eſſe finis ſimpliciter ultimus; Ergò duos nemo habere poteſt.

Reſponderent: non intelligi de ſimpliciter ultimis, ſed non ſubordinatis æquè primis. Contra: nec hoc ſenſu poteſt quis duos, vel plures fines habere, vel enim utérque eſſet adæquatus, vel non, ſi ſe-

ſecundum,ceſſat quæſtio, ſi primum, cùm unicus eſſet adæquatè ſatiativus, alter utpote ſuperfluus, nec à DEO, nec à natura, ſuperfluum horrente, poſſet intendi.

Confirmatur: non poſſunt eſſe duo fines ſimpliciter ultimi, cùm ſic unitas DEI demonſtrari queat; Ergò nec duo bona adæquatè finaliter poſſunt movere.

Reſpondent: duo bona ùt ſic C. particularia N. vel disjunctivè N. conjunctivè, C. Contra: reſpectu ejuſdem actûs non poſſunt duo bona particularia movere, ut quodlibet ſit finis ultimus adæquatus, vel enim maneret idem actus, vel diverſificaretur, non ſecundum; Ergò primum, & ſic unus ſuperfluit.

Reſpondent alij: non poſſe haberi duos fines ultimos efficaciter. C. inefficaciter N. ita Martinez, Gonet, & alij. Contra: falſis ſuppoſitis laborat uterque caſus, quo id monſtrare conantur Autho. ci, neque enim peccans venialiter ſe convertit ad creaturam inefficaciter tanquam ad finem ultimum, & ſimul per eundem actum ſe convertit ad finem ultimum efficaciter, licèt aliunde ad DEum converſus maneat, præterquam quòd actum Theologicum cum morali confundant, & in omni actu morali ad ultimum finem tanquam ſpecificativum tendentiam ſupponat: cæte-

rùm maximè movetur de efficaciter conjunctim moventibus.

Obijcies I. aliquis poteſt habere plures fines neque ſubordinatos, neque partiales; Ergò ultimos & totales. Probatur Antecedens: aliquis poteſt dare eleëmoſynam ut ſuccurrat proximo, ut ſatisfaciat pro peccato, ſed; Ergò. Probatur Minor: primò enim hi fines non ſunt ſubordinati, neque partiales, quia uno ſublato, maneret æquè laudabilis. Reſpondeo: quòd maneret æquè imputabilis quoad ſubſtantiam. C. quoad gradum N. eſſent enim plures partiales fines honeſti.

Inſtabis cum P. Hurtado: ponamus caſum quòd actus non intenderetur, & ſimiles plures fines eſſent. Reſpondeo: hoc ſuppoſitum eſſe impoſſibile, quoties enim augetur circumſtantia pertinens, qualis eſt finis, etiam augetur actus, per quod ſingulos caſus, quos ſubdit, ſolves.

Obijcies II. mortaliter peccans conſtituit finem in creatura, quam inordinatè diligit, ſed homo poteſt diverſa peccata diſparata committere, & ſic diverſas creaturas pro fine ultimo habere; Ergò. Reſpondeo pro nunc: quæſtionem intelligi reſpectu unius actûs.

Inſtabis: juſtus venialiter peccans, habet pro ultimo fine ſimpliciter DEum, quia eſt in

ingratia, & etiam creatura, ad quam ſe convertit per peccatum, eſt ultimus finis; Ergò reſpectu ejuſdem actûs idem homo habet duos ultimos fines. Reſpondeo Negando Suppoſitum quòd homo peccet venialiter quia Deum amat; ùt ſupradixi.

Obijcies III. aliqua fiunt propter duos fines, ſed non dantur fines intermedij; Ergò &c. Probatur Minor: *finis* convertitur cum *ultimo*, & eſt id: cujus gratia cætera fiunt; Ergò non dantur intermedij, aliàs & in finibus in infinitum iretur. Reſpondeo Negando Minorem: ad Probationem dico: finem ſimpliciter ſic converti, & non haberi in Philo: cætera, ſed aliquid, niſi additum eſſet, & ſic adhuc de ſimpliciter tali intellige, quin ſi ultimus non daretur, nec intermedij darentur propriè; poteſt ergò diverſo reſpectu eſſe *id* cujus gratia, & tamen ultrò referri. Si quæras: an omnis actio humana ſit propter ultimum finem? Reſpondetur ab aliquibus, quòd ſaltem interpretativè; ſed minùs aptè, niſi præſcisè de bonis actionibus, & fortè nec univerſim; dico ergò: ſi per finem ultimum velint *bonum* quod ſic, ſequitur ex præced:, ſi Deum, quòd non, licèt deberent omnia propter eum fieri, qui propter ſe omnia operatus eſt.

DISPUTATIO II.

De Libertate Hominis.

CUm inſinuavarim per actum Ethicum moralem intelligi à ratione,& libertate dependentem, meritò hæc materia fundamentalis diſcutitur in facultate prævia ad Jus, Theologiam &c. proinde ſit

QUÆSTIO I.

Quid & quotuplex ſit Libertas?

DIco : Libertas eſt potentia quæ poſitis omnibus ad agendum requiſitis poteſt agere,& non agere. Ità communiter Theologi ,Philoſophi & omnes Scientifici paucis exceptis, inter quos nuper fuit P. Joſephus de vita p. 2. diſp. 1. in tom. 1. de princ. pecc.

Dividitur autem libertas generatim in tres, vel ùt alijs placet in quatuor claſſes, ſtantes pro numero ternario,dividunt eam cum S. Bern. in lib. de grat. ac libe: arb: in *libertatem à peccato*, *à miſeria*, *à neceſſitate*, id eſt: *natura*, *gratia*, ac *gloria* libertatem: ubi per *libertatem gratia, vel à peccato* intelligitur ſtatus animæ liberatæ ab omni ſcelere, quæ ſimpliciter ſoli DEO convenit, per participationem rariùs creaturis: per libertatem *gloria, vel à miſeria* ſumitur ſtatus ani-

animæ videntis Deum ſicuti eſt in cœlo, vel rariſſimè in terris: per *libertatem naturæ, vel à neceſſitate*, de qua potiſſimùm agitur, intelligitur ſtatus in quo conditi ſumus, at quia ille fuit in innocentia, & poſtmodum in peccato, hinc

Subdividitur libertas naturæ in *libertatem ſpontaneitatis* (vel quod idem ſignificat) *à coactione, vel complacentiæ*, & in *libertatem contingentiæ, vel indifferentiæ*; prima, id eſt: libertas à *coactione*, vel *ſpontaneitatis* eſt illa, quâ quis eſt immunis ab omni violentia extrinſeca, & ſic omnis actus voluntatis à creatura elicitus, vel imperatus, liber eſt, imò hac libertate gaudent bruta, & ſecundùm quosdam plantæ, imò gravia, ac levia: altera quæ & vocatur primariò ac antonomaſticè *naturæ*, vel à *neceſſitate*, eſt illa, quam definivimus potentiam quæ &c.

Porrò libertas hæc *indifferentiæ*, alia eſt *contradictionis*, quando ſcilicet potentia poſitis omnibus requiſitis, poteſt agere & non agere, id eſt: omittere actum, alia *contrarietatis*, quando nimirum poſitis &c. poteſt agere, & *non* agere poſitivè ſumendo, id eſt actum contrarium ponere, exemplum *primæ*, eſt libertas ambulandi, & non ambulandi; *ſecundæ*, facere bonum, & malum, & ſi hæc contraria ſpecie diſtinguan-

 tur

tur, vocatur libertas *ſpecificationis*, ſicut prima & *exercitij*.

His Juriſtæ addunt libertatem à ſervitute, quâ quis ab omni mancipatu liber eſt, *ff de ſtatu hominis*, L. *cùm igitur*: & Scotiſtæ libertatem eſſentialem de Trinitate agentes, &c. huc impertinentia.

Probatur autem definitio data regulis in Dial. præſcriptis; & Confirmatur communi aſſenſu. Et ſi quis dicat cum Authore ci. *agens liberum eſſe, quod ex deliberatione operatur*, vel ſubintelligit ità ut poſitis omnibus requiſitis poſſit agere, & non agere, vel non ſubintelligit, ſi primum, coincidimus, ſi ſecundum, talem libertatem omnes hæretici agnoverunt, & pro quocunque ſtatu admiſerunt; Ergò cùm contra illos dari libertatem defendemus, aliter eſt definienda.

Obijcies: hæc defiinitio non convenit libertati à miſeria, vel à ſervitute; Ergò &c. Reſpondeo tranſeundo Antecedens, & Diſtinguo Conſequens: quòd conveniat omni propriæ C. impropriæ N. *dixi* autem tranſeundo: qui ubi priores, ibi & indifferentiæ, quam definivi.

Inſtabis: libertas indifferentiæ eſt habitus; Ergò non potentia. Probatur Antecedens; liberum arbitriū enim eſt inclinatio ad alterutrum, ſed omnis inclinatio, vel faci-

cilitas eſt habitus; Ergò. Reſpondeo Negando Antecedens, ac Probationis Majorem: niſi velis inclinationem ſubſtantialem, quæ eſt ipſa voluntas, nam facilitas potior eſt pro una parte, quàm utráque.

Inſtabis: aliqui cum D. Bern. docent eſſe actum intellectûs; alij Scotiſtæ formaliter diſtinctam potentiam à voluntate, imò realiter, quia tollitur in beatis, & in Deo voluntas eſt ad intra, ſed non libertas. Reſpondeo: quòd ſit actus intellectûs præſuppoſitivè, ſcilicet dum elicit, vel imperat actum humanum, & quòd nullo modo diſtinguatur, vel tollatur, impeditur quidem ab extrinſeco in beatis, ſed non tollitur: Deus verò ad intra eſſentialiter liber eſſe docetur in via Scoti.

Colliges: quando dicitur in definitione poſitis omnibus requiſitis, intelligi tam ex parte Cauſæ primæ, quàm creaturarum, nam ſtante ſcientiâ, & volitione Dei in ſenſu compoſito, debet poſſe agere, & non agere, ùt in Theologia docebo.

Quæres: an ſolus homo libertate gaudeat, & ſemper? Reſpondeo: quòd Deus etiam ad extra libertate indifferentiæ contradictionis utatur, non autem contrarietatis ad bonum & malum, Angeli verò & beati de facto utráque ab intrinſeco, homo verò & ab extrinſeco ſit eâ uſus in ſtatu innocentiæ, ſit autem

QUÆSTIO II.

An Homo in ſtatu naturæ lapſæ habeat libertatem indifferentiæ?

DIco: Homo in ſtatu naturæ lapſæ habet,& exercet libertatem indifferentiæ. ità Catholici, Ethici, ac Controverſiſtæ, imò ipſe Diabolus : eſt contra Simonem Magum, vide lib. recognitionum S. Clementis: contra Lutherum, qui enarrat: in pſal. circa concl. 7. ſic ſcribit : *liberum arbitrium eſt figmentum in rebus, ſeu titulus ſinè re, quia nulli eſt in manu ſua quidpiam cogitare vel mali, vel boni, ſed omnia de neceſſitate abſoluta eveniunt*: & Philippum Melancthon, qui in locis Theologicis de viribus hominis Witembergæ editis ait: *nulla eſt arbitrij noſtri libertas*, Wicleff Conſtantiæ damnatum, Contra Janſenium & Gibieu:, qui contingentiam admittunt, ſed non *indifferentiam*, quod eſt damnatum ab Innoc. X. imò ipſe Calvinus lib. 2. contra Pighium, & l. 2. inſt. cap. 2. libertatis nomen,& etiam libertatem à coactione admittit, eſtò libertatem propriam ac indifferentiæ mordicus neget: item contra veteres Stoicos ob Fatum, & Aſtronomos ob influxus aſtrorum hanc libertatem negantes.

Probatur primò generali authoritate Eccleſiæ (quam hìc ſuppono, & alibi) definiente

niente libertatem dari in Conc. Bracarenſi 1. can. 10. Conſtantienſi ſeſſ. 8. Senonenſi in decretis fidei c. 15. Arauſicano can. 25. Trid. Seſſ. 6. can. 5. & Confirmatur authoritate plurimorum SS PP. vide Bellar. lib. 3. de lib. arb. cap. 5. Coccium, & alios. imò Cicero maluit negare Deo præſcientiam, quàm hominibus libertatem, hinc Aug. lib. 5. de civ. Dei c. 9. ait, ut homines faceret liberos, fecit ſacrilegos, & ſanè licèt unum ex ambobus negare ſit error, citiùs ſola ratio comite experientiâ pro Cicerone ſtaret, quàm pro libertatem negantibus.

Sed quia has authoritates parùm curant hæretici, pro interim Confirmatur ad hominem: ipſimet hæretici moderni, tùm Ethici, tum Oeconomi, vel nihil de libertate ſcribunt, vel eam defendunt, vide Dithmarſum, Iſendorn, Gocclen, Sagittarium, Keckermannum, & alios: ex quo colliges: illos revera multos Lutheri errores agnoſcere, & quidem in materijs omnium præcipuis, quod eſt unum ex maximis argumentis modernos convincendi hæreſeos formalis.

Probatur ſecundò ex Sacrà Scrip. *faciamus hominem ad imaginem noſtram.* Gen. 1. quod Tertull. Scriptor antiquiſſimus lib. 2. contra Marcio: de libert. indiffe. exponit,

Num.

Num. 30. *in arbitrio viri erit ſive faciat, ſive non*; ecce libertas contradictionis. Joſ. 24. Eccl. 15. monſtratur libertas contrarietatis. Eccl. 31. *qui potuit transgredi, & non eſt transgreſſus*: Gene. 4. *ſub te erit appetitus*, &c. ad Hebr. 11. *magis eligens affligi*. Iſai. 1. ſi *volueritis*, &c.

Reſpondent Baicus, & alij ci. hæc explicando de libertate à coactione; hæretici verò de ſtatu innoc.; imò ſic ipſa Concilia nonnulli temerè explicare voluerunt. Contra eſt *littera ipſa*, & neceſſitas explicantis, ac conciliantis Eccleſiæ reſpectu locorum, quæ ſibi videntur contradicere. Confirmatur: D. Petrus contra Simonem Magum non modo libertatem defendit, ſed eadem argumenta à Mago ſibi objecta, quæ modo hæretici obijciunt, ſolvit, vide lib. recogn. S. Clementis.

Reſpondent aliqui: libros illos eſſe ſuppoſititios; alij ab Ebionitis depravatos: Contra: hos eſſe authenticos monſtrat accuratè Lamb. Gruterus Venradius in præfatione ad opera D. Clementis; & ſi corrupti fuerint, non tamen in materia de libero arbitrio, vide Bellarum. lib. 1. cap. 25.

Probatur tertiò rationibus: deliberamus, mutamus conſilia, laudamus probos, damnamus improbos, hortamur, minamur,

mur, punimus, præmiamus, leges ponimus, &c. Ergò libertate gaudemus.

Retorquent argumentum: etiam beſtias inſtruimus, laudamus, punimus, quæ tamen liberè non agunt. Contra eſt: quòd aliqui defendant brutis ineſſe quoque libertatem, quod licèt verum non ſit in rigore eo, quo homo eâ fruitur, dum cum ratione eligit quod vult, tamen ſequendo inſtinctum naturæ proſequuntur, quod fugere poſſent, fugiunt, quod proſequi poſſent, hinc ſicut ratione non gaudent, ſed inſtinctu naturali, ita nec voluntate, aut propria libertate, nec proinde propriè legibus ſubjacent, &c.

Confirmatur: Diabolus ipſe ſcit homines eſſe liberos, cur aliàs tentaret illas ut abſtinerent. Nec dicas: eum decipi cùm putet eſſe liberos, eſt enim in naturalibus aſtutior homine. Deinde quid hæretici prædicant bonum amplectendum, malum fugiendum, ſi homo libertate careat. Tandem peracte hæreticum tam diu donec fateatur te poſſe, & non poſſe abſtinere à verberibus: imò ipſa experientia docet, nos quædam facere poſſe, & non poſſe.

Probatur adhuc: ratio in homine eſſet ſuperflua in ordine ad judicandum quid fugere, vel proſequi poſſet, virtus & vitium, meritum & demeritum ceſſabunt: item

item ad perfectionem univerſi plurimùm conducit, vide Ariſt. 3. Mor. Nicom. c. 5. & 10. Metaph. ubi univerſo, & ſervituti, & libertati ſubjectos, fatum & contingentiam, alibi naturalitatem ac indifferentiam deducit; hæc autem libertate ſpontaneitatis ſolvere eſt hominem feris comparare.

Objicies I. ſœpè in ſcriptura ſacra negatur liberum arbitrium, ad Rom. 7. 8. ad Eph. 1. Prov. 21. imò ipſe D. Aug. ſœpiſſimè negat libertatem homini in ſtatu naturæ lapſæ: ſignatè Epiſt. 107. ad Vitalem ait: granditate primi peccati liberum arbitrium ad diligendum Deum perdidimus; & alibi clariſſimè inſinuat idem. Reſpondeo ad hæc & ſimilia: quòd velint hominem poſt Adæ lapſum moralem inclinationem ad peccandum habere, & quòd comparativè liber non ſit libertate contrarietatis, ſicut ad bonum in ſtatu innocentiæ, & quod non ſit libertas ad meritum ſufficiens ſinè gratia, ut Pelagiani docebant. Ex quibus totam maſſam ſolves, præterquam quòd non ſolus Aug. hac de re nobis faveat; ſcriptura ſœpe loquitur de voluntate ſigni, & ſi velint hæretici ſic non intelligi ſcripturam, quære, cùm ſit locorum pro & contra copia, an quilibet pro ſuo libitu, ac genio poſſit interpreta-

ri, an verò viſibile caput aliquod? uti alibi fuſiùs agam.

Obijcies II. DEus ab æterno omnia ſcit, & prædeſtinavit quomodo, quæ, & quando debeant fieri; Ergò nemo liberè agit. Reſpondeo: hoc omnem ruſticum obijcere ſcire, ſed doctiſſimos Theologos vix ſolvere, aliqui recurrunt ad prædeterminationes in-& ex-trinſecas; alij ad ſcientiam mediam &c. de quibus in Theologia; Ethicus reſpondet, ſe non eſſe capacem, quà Ethicum pro hujus ſolutione, ſed Theologos conſulendos, utì tamen queat illo Scoticô exemplô, qui ruſtico ſibi idem obijcienti reſpondit, quid in agro laboraret, ſi DEus prævidit fruges in agro orituras, erunt, ſi ſecus, non, cuì ille ſimpliciota: Pater mi, ſi me non prævidit laboraturum, nec agrum fruges portaturum vidit; quaſi dixiſſet, faciam ego, ut ſit prævïſus ac prædeſtinatus ager ad fruges.

Obijcies III. quid Papiſtæ pro libertate dimicant? hanc enim ſublatam clamant providentiâ, & præſcientiâ DEI, infallibilitas Fati, connexio cauſarum ſecundarum, motus cœli; aſpectus ſyderum, temperamentum corporis, neceſſitas Cauſæ primæ in agendo, id ipſum conjurant prima principia, *quod eſt, quando eſt, neceſſe eſt,* *cujus*

cujus oppoſitum non eſt in nobis, id non erit in nobis; ex quo patet omnes facultates edocere, ac demonſtrare libertatem non eſſe in nobis. Reſpondeo: illum qui omnia fortiter ſuaviterque diſponit, hæc omnia ita attemperâſſe, ut quædam fiant neceſſariò, quædam ſponte, quædam indifferenter, & ad ſingula breviter: de provid. & præſci. in Theol. Fatum Stoicorum non datur, ſi pro natura ſumatur, hæc pro diverſitate potentijs ſubjacet: Aſtronomi, & Medici inclinationem moralem inferunt, nil amplius, prima Cauſa ad extra eſt liberrima, imò nec concurrit immediatè in naturalibus, vide meam Phyſ. Dialectica illa de neceſſitate ſuppoſitionis loquitur, & æquivocat de oppoſitis, utpote quæ ſunt ſimul quoad veritates ideales, non exiſtendo, aliàs album deberet habere nigredinis formam: leges quibus adſtringimus plus nobis quàm Pſeudo Ethicis favent: plura in Controverſijs & Theol. Schol. cum Thom. RR. ac Janſeniſtis diſputabo.

QUÆSTIO III.

Quænam paſſiones cauſent involuntarium?

DIco: actus qui fiunt ex metu, & concupiſcentia ſimpliciter, ſunt voluntarij,

rij, ſecundùm quid involuntarij; ignorantia verò aliqua nunquam, aliqua ſemper, aliqua ſubinde involuntariam operationem eſſe efficit. Ità communter Ethici, Theologi, ac Juriſtæ, at quia diverſæ partes continentur, ſingulas declaro.

Dicitur itaque primò illa quæ ex metu fiunt, tantùm minùs involuntaria eſſe, hoc eſt: tales actus eſſe plus voluntarios quàm involuntarios ùt Suarez ait, v. g. ſi quis ex metu perituræ navis aliquas merces in mare projicit, eſt enim actus à principio libero intrinſeco cum cognitione finis; Ergò &c. at quia ſimul eſt cum quadam triſtitia, igitur ſecundùm quid involuntarius, puta ſi fiat ex ſolo metu, ſi enim comederet quis carnes die vetito metu infirmitatis, & ſimul fine voluptatis, omninò voluntariè delinqueret.

Declaratur de concupiſcentia, quæ eſt vehemens paſſio quædam in appetitu ſenſitivo, quâ quis alterum malet, quàm quod eligit, ſi talis paſſio præit, vel comitetur actum, ratio turbatur, & proinde voluntarium minuitur, licèt nullus metus adeſſet, proinde qui eſt cauſa concupiſcentiæ actum meritorium minùs liberum facientis, minùs meretur, quàm ſi ſit tentatio permiſſa â DEO. Nec dicas cum Caſpenſi: minui quidem rationem liberi, ſed non

voluntarij, niſi fortè per accidens. Contra: etiam ad rationem voluntarij cognitio finis requiritur; Ergò quidquid turbat intellectum, minuit voluntarietatem.

Dicitur tertiò de ignorantia, quòd aliquando cauſet, aliquando non faciat involuntarium, pro quo ſciendum eſt, quòd ignorantia *Philoſophicè* ſit duplex, *negativa*, & eſt in ſubjecto non apto, v. g. lapis negativè ignorat linguas; *poſitiva* verò, eſt in capaci, v. g. ſi Petrus hoc, vel illud neſciat, hæc ultima Theologicè triplex eſt: *antecedens, vel invincibilis*, quæ fit ante actum, v. g. quis neſcit eſſe diem feſtum, & non vult deinde audire ſacrum, *concomitans*, quâ quis operatur neſcius, faceret tamen ſi ſciret, v. g. quis quærens interficere hoſtem, traijcit illum, cùm putet ſe caſu traijcere feram; & *conſequens*, *vel vincibilis* (quæ fortè aptiùs ſcientia conſequens nominaretur) quâ quis poſt actum ſe primò reflectit, ſuper quod antecedenter reflectere potuit, v. g. agnoſcens eſſe feſtū, quod primò agnoſcere debebat, hæc ſœpè eſt *affectata*, quando quis expreſſè, vel ordinariè negligit, v. g. conciones &c. in quibus leges, & obſervationes promulgantur, ſœpè *non affectata* quidem, ſed *craſſa*, *ſupina*, *indirecta*, v. g. ſi in concione dormiendo audire ſimile quid negligat: tandem

ex

ex Jure ignorantia alia eſt *juris*, alia *facti*, prima cùm quis neſcit legem, v. g. neſcit peregrinus eſſe vetitum in tali urbe jaculari, altera cùm quis neſcit ſe feciſſe, v. g. comedens carnes die veneris, putans eſſe jovis diem, neſcit ſe illicitè carnes comediſſe. His addunt alij *ignorantiam legem faciendi*, qualis eſt in tyronibus audientibus, ſed exequi neſcientibus, ſi quis verò peccat, & ſtatutam peccati pœnam neſcit, jus ignorat, ut de adult. habetur, per tex. in §. *ità tamen* inſt. de vi: bon: rap. l. q. *adult.* Ex quibus

Probatur concluſio: ignorantia invincibilis ſemper cauſat involuntarium ſimpliciter ex Sco. in 4. d. 24. & Caram: l. 1. fund. 40. ſcilicet ſi quis poſt actum advertens ſuam ignorantiam, vellet ſe nequidem actum illum materialiter poſuiſſe, ex 3. Ethi. ignorantia verò vincibilis, ſi eſt affectata, ſemper cauſat voluntarium, ſi verò craſſa, plùs minùs ex circumſtantijs minuit; Ergò aliqua ſemper, alqua nunquam, aliqua ſubinde involuntarium cauſat. Si quæras de concomitanti? dicitur: quòd nec voluntarium, nec involuntarium cauſet, non primum, quia non fit cum cognitione finis, nec ſecundum, quia non eſt à principio extrinſeco. Nec dicas: etiam id quod fit cum invincibili, non

eſt à principio extrinſeco. Diſparitas eſt: quia fit contra inclinationem, & reflexè non factum optaretur, ſecùs de concomitante ùt patet in exe: ſupra allato.

Obijcies I. mercator proijciens ex metu merces ex navi, ſimpliciter non operatur ſponte; Ergò quæ fiunt ex metu, non ſunt voluntaria ſimpliciter. Ita Ariſt. 3. Eth. Reſpondeo: ſi ſimpliciter ſignificat pro nihilo contrarij N. pro aliquid contrarij habente. C. ſic DEus ſimpliciter eſt bonus absque minimo contrario; Æthiops ſimpliciter albus cum parùm contrarij.

Inſtabis: contractus ex metu facti poſſunt infirmari, imò & ſponſaliorum Jure Eccleſiaſtico ſunt irriti l. 1. ff. de *eo quod metus cauſa*; Ergò licèt ſecundùm quid voluntarij, ſimpliciter ſunt involuntarij. Reſpondeo Diſtinguendo Antecedens: ex metu levi N. gravi C.

Inſtabis: adulter, vel fur peccat timens nè deprehendatur, & tamen voluntariſſimè, & ſic omnis peccator cum metu gehennæ; Ergò levis timor non minuit voluntarium. Reſpondeo: concluſionem intelligi quando majus eſt malum quod timetur, jam gehenna, deprehenſio &c. ſunt minora peccato. Pro ulteriori tamen notitia

Quæ-

Quæres: quid & quotuplex ſit metus? Reſpondeo: metum, qui eſt *imminentis periculâ cauſâ*, *mentis trepidatio* ex Phil. 2. Phy. c. 5. & Ulp. in inſtantia ci., alium eſſe intrinſecum, alium externum, *prior* oritur à ratione dictante majus malum, v. g. quibusdam, ſi religioſus non fias, debitè ſtatum tuum vix ſervare poteris; *alter* quando ab extrinſeco conſenſus extorquetur, v. g. niſi hoc dederis, te mactabo, & hic aliquando *juſtus*, v. g. dicendo furi niſi reddideris te accuſabo, aliàs *injuſtus*, v. g. ſi latro obvio dicat, aut da, aut ſta, huc refer metum *tacitum*, *vel reverentialem* filij erga parentes; *compulſivum*, niſi occideris, non eris amicus Cæſaris, *concuſſivum*, niſi feceris conabor te vexare; & *impreſſivum*, qui fit per verbera: adde timorem ortum *ex ſuſpicione*, quali vir non vult permittere libertatem uxori; & ex *perfidia*, quali hæreticus meritò timet peccata dicere Prædicantibus.

His potior eſt diviſio metûs cadentis *in conſtantem virum*, qui fit ob grave malum imminens; & *in virum inconſtantem*, qui oritur ex facili, & obvio malo.

Colliges: ſi ſit metus cadens in conſtantem virum, ordinariè minuere voluntarium, ſi verò ſit & impreſſivus, & concuſſivus, etiam ſimpliciter fieri involun-

luntarium, ſicut & reverentialem actum; & ſi quis ex tali metu intraret religionem, emitteret profeſſionem, & invitè ordines acciperet, omnes actus tales involuntariè eliceret. Si petas an obligaretur? dico: quòd obſcura quæſtio in praxi, ſit obſcurioris ſolutionis.

Obijcies II. effectus ex concupiſcentia, non participant definitionem involuntarij ſecundùm quid; Ergò &c. Probatur Antecedens: non ſunt à principio extrinſeco; Ergò &c. Reſpondeo Negando primum Antecedens, aliud Diſtinguo: extrinſeco homini. C. voluntati N. voluntas autem eſt illud principium intrinſecum formale, quæ non eſt ſubjectum concupiſcentiæ.

Inſtabis: ſaltem voluntas non renititur talibus actibus, quin fiunt cum majori impetu, ùt de concupiſcentibus luxurioſè conſtat. Reſpondeo: aliquando concupiſcentijs turbari rationem ùt in caſu allato, aliquando reniti voluntatem, ut ſi avarus debeat exponere pecunias. Hæc de libertate Ethica.

DISPUTATIO III.

De Legibus.

MAteriam de legibus vix integer tractatus adæquaret, proinde hic tantùm

tùm ea, quæ Neo-Theologis, ac Juriſtis, imò cuilibet ſcientifico prævie ſcitu digna videbuntur, pro dignitate declarabo.

QUÆSTIO I.

Quid & quotuplex ſit Lex?

DIco: Lex generaliſſimè ſumpta, eſt actus potentiæ rationalis promulgatione factâ, obligans naturam rationalem. Hæc eſt nullius quem vidi, vel audivi; dividitur in naturalem, & liberam, vel poſitivam, iſta pars verò eſt communis Ethicorum, Theologorum, ac Jur: Con:

Explico mentem meam breviter, ſed clarè: alij Authores fuſè diſcrepant in quo conſiſtat lex naturalis, & poſitiva, ſed conceptum communem niſi confuſum nemo aſſignavit, præter explicationem quid *nominis*, quod alij à *ligando* provenire cenſent, ità D. Tho. 1. 2. q. 99. alij à *legendo* ùt Iſid. l. 2. etym. c. 10.; alij ab *eligendo* cum Cicer. l. 1. de legibus; alij *regulando* cum Scoto: quæ omnia tolerari poſſunt. Ego verò definio legem ut ſic *actum potentiæ rationalis &c.* qui actus cùm ſit duplex, ſcilicet intellectûs qui eſt potentia naturalis, & voluntatis quæ eſt potentia libera, hinc etiam ex primò dividitur in *naturalem*, & *liberam*, quam ùt dixi vocant, poſitivam, quas ſignatè definiam q. ſeq.

Subdivido autem legem poſitivam, vel liberam in *immediatè Divinam*, & *medatè Divinam*, vel *humanam*, exemplum primæ ſit Decalogus, ſecundæ præcepta Eccleſiæ.

Utraque ſubdividitur: immediatè, & antonomaſticè Divina, quàm DEus ipſe, vel Chriſtus condidit, in *veterem, vel Moſaicam*, & in *novam, vel Evangelicam*. Prima eſt quam DEus per angelos, & Moyſen Judæis dedit, Exo. 26. *locutus eſt Dominus cunctos ſermones*. *Nova* quæ hominem per gratiam *renovat*, ex Aug. tract. 63. eſt illa, quam Chriſtus dedit, & hanc dividunt Theologi in *Moralem*, *Sacramentalem*, ac *Fidei*, v. g. Matth. 5. audiſtis *quia dictum eſt antiquis &c. ego autem dico, quicunque dixerit fratri ſuo Racha*, en ajunt Moralem. *Niſi quis renatus &c.* Joann. 3. ecce Sacram. Fidei, mors, reſurrectio, & aſcenſio Chriſti &c. *Lex* poſitiva, mediatè Divina, vel humana, vel creata, ut & angelica comprehendatur ſi eſſet, eſt: quam humana poteſtas à DEO conceſſa fert, *non enim eſt poteſtas niſi à DEO*, inquit Apoſt. & Chriſtus ipſe ad Apoſt. *qui vos audit, me audit*, unde Aug. 9. de Civ. DEI *omnium legum eſt inanis cenſura, niſi Divinæ legis imaginem gerat*, & DEUS per Pſal. in *auditu auris obedivit mihi &c*, hæc inquam lex alia eſt *communis & ſtabilis pro bono communi*, uti poſt Iſid.

ci.

ci. c. 20. ad omnẽ legem alij requirunt, ſed immeritò, tùm quia diſtinguitur inter legem perſonalem, & publicam. C. duæ ſunt XIX. q. 2. l. 1. ff. *de conſtit.* tùm quia individuæ leges ſunt pro bono particulari, & ſi Suarez locum ci. omninò velit ampliare, dicatur quòd lex tranſiens, & particularis remotè ſit pro bono publico. Communis potiſſimùm, dividitur in Eccleſiaſticam, vel Jus Canonicum, & Civilem, vel latiùs Cæſaream, ut contineatur Polemica &c. *Jus Canonicum* tres partes principales habet, *Decretum, Decretales, & Extravagantes;* Decretum compilavit Gratianus Monachus ord. S. Benedicti; Decretales Greg. IX. Pontifex, Bonifacius VIII. quibus conſtitutiones Clementinas addidit Clemens V. in Conc. Viennenſi: Extravagantes verò conſtitutiones numero viginti fecit Papa Joan. XXII., & alij Pontifices. Jus Civile partitur in *Inſtitutiones, Digeſta, & Codicem.* de quibus ſingulis in futurum. Nunc

Probatur definitio, & diviſio cum ſubdiviſionibus ex regulis dialecticis; dixi autem notanter obligans *naturam* non creaturam, ſed *rationalem*, quia ad legẽ naturalem ipſæ perſonæ Divinæ utpotè rationales quoque tenentur. Confirmabitur ultrò ex dicendis q. mox ſequenti. Deinde licèt promiſſio, ac juramentum obligent,

non

non tamen per modum ſubditæ, unde poſſet addi obligans naturam rationalem ſubditam, quod intellectum volo, neque DEO contrariatur, ſiquidem ille maximè tenetur rationabiliter agere.

Obijcies: definitio debet explicare eſſentialia, imò in moralibus & proprietates, ſed hoc non fit in allata; Ergò, &c. Probatur Minor: de ratione legis eſt, eſſe communem, perpetuam, acceptam, ſed horum nihil exprimitur; Ergò. Major ſolet Probari varijs locis ex utroque jure. Reſpondeo Diſtinguendo Majorem: quoad proprietates, ac conditiones neceſſarias: definitio ſpecifica, tranſeat, generica N. ad Minorem dico: *communem* debere eſſe vel remotè, vel proximè; *perpetuam* vel poſitivè prout lex naturalis, vel negativè, hoc eſt: donec per Legislatorem, vel conſuetudinem, vel carentiam finis tollatur; *acceptam* poni voluntariè, ſiquidem ad legem naturalem tenetur omne ens rationale, ad poſitivam omnis creatura, utpote perfectè ſubjecta Deo, à quo mediatè, vel imm. eſt omnis talis lex. Quòd verò debeat eſſe juſta, honeſta, promulgata pro bono communi, in data definitione per ly *rationalis* implicitè, & in obliquo promulgatio importatur.

Inſtabis: Theologi, & Juriſtæ, ut diſcernerent

nerent legem à præcepto, dicunt illam debere eſſe proximè communem, & pro bono publico. Reſpondeo: ſi hoc omninò deberet eſſe, adhuc implicitè exprimi per ly *rationalem*, ſed eſto extrinſecè hoc videatur probabilius, mihi voluntarium videtur, cum præceptum Decalogi ſit lex, ſic & præceptum privatum meritò lex dicitur, præſertim cùm rationem boni communis remotè ſpectet; huc & ſententiam refer; privilegium non obligat.

QUÆSTIO III.

In quo actu conſiſtat Lex naturalis, & Libera, vel Poſitiva?

DIco: Lex naturalis conſiſtit formaliter in actu intellectûs, conſecutivè verò in actu voluntatis Divinæ: Lex Libera, vel Poſitiva, formaliter in actu voluntatis, præſuppoſitivè in actu intellectûs. Hæc quoque unitim ſumpta eſt nullius, videntur tamen aliqui inclinâſſe, *dixi* unitim, quia quoad primam partem eſt famoſa in Schola D. Thomæ contra Scotiſtas inter ſe diviſos, licèt Thomiſtæ plurimi de ſola poſitiva loquantur: quoad alteram partem eſt plauſibilis in via Scoti in *3*. d. *36*. & in 4. d. 44. contra Thomiſtas, & RR. permiſcuè titubantes: ego verò utramque tuebor.

Pro-

Probatur primò utraque pars ſimul: in Scriptura Sacra, SS. PP. in Ariſt. Cicerone, Ethicis, ac Juriſtis lex jam exprimitur per actum intellectûs, jam per actum voluntatis; Ergò hæc optimè conciliantur dicendo, Legem naturalem conſiſtere in uno, poſitivam in altero. Antecedens demonſtratur ex his pro intellectu Prov. 6. *lex lux* Pſ. 18. *præceptum Domini lucidum*, Cic. 1. de legibus, *eſt autem lex ſumma ratio.* Ariſt. de cauſis civil. *lex eſt ratio*, Iſid. l. ci. & Chryſipp. de legibus, & alij. Ex ſequentibus pro voluntate Pſ. 302. *notas fecit vias ſuas Moyſi, filijs Iſraël voluntates ſuas*, Matth. 7. *qui fecerit voluntatem Patris mei* Pſ. 39. *in capite libri* &c. Machab. 1. *det vobis* &c. Confirmatur: lex naturalis pertinet ad potentiam naturalem, libera, vel poſitiva ad liberam.

Reſpondent Thomiſtæ: legem poſitivam conſiſtere in voluntate ſecundariò, connotativè, imò pertinaces præſuppoſitivè, vide Gonetum. Reſpondent ſic Scotiſtæ de intellectu, & ſic utrinque authoritates explicant, ſed ambæ partes peccant, quot ut clarum fiat

Probatur expreſſè, quòd lex naturalis formaliter in actu intellectûs ſita ſit: quidquid fit contra rationem, eſt contra legem naturalem, quidquid fit rationi conformiter

ter, eſt conforme legi naturali; Ergò ratio ipſa eſt lex naturalis in actu primo, actus verò dictans omnia eſſe rationi conformiter agenda, eſt lex naturalis formaliter. Confirmatur: lex naturalis eſt omnibus indita, ſed ratio eſt omnibus indita; Ergo. Deinde non omnes legem ſervant, id eſt rationem ſequuntur.

Reſpondent: Ergò conſiſtit in actu intellectûs præſuppoſitivè. C. formaliter N. Contra: hæc ſolutio valeret de lege libera, at nulla eſt de naturali; primò, quia hæc non conſiſtit in voluntate, nec alio; Ergò &c. Deinde in lib. Salomon. *per me reges regnant*, &c. inſuper lex naturalis eſt regula humanarum actionum, ſed hæc eſt ratio, cui actus humanus eſt conformis, vel diſformis; Ergò, &c. Confirmatur: lex naturalis eſt communis Deo, & rationali creaturæ, ſed Deus nullum actum voluntatis tenetur ſequi, bene tamen conformiter rationi operari; Ergò.

Reſpondent quidam: Ergò conceptus objectivus, id eſt: ipſum verum practicum eſt lex naturalis C. ratio formalis N. Contra: ſi nos legem concipimus, utique eſt talis conceptus, at in ſe eſt ratio æterna dictans ſibi conformia licere, non diſformia, idem eſt de convenientia naturæ rationalis, intellectus enim practicè dictat

ac

ac ſuô modô imperat hujuſmodi agenda, vel omittenda.

Probatur nunc de lege poſitiva: tùm ex locis citatis; tùm quia hæc contingens eſt, ubi per legem poſitivam non debet intelligi ille actus, per quem Deus conſecutivè naturalem confirmat, ſed quâ hoc, vel illud præcipit, quod potuiſſet non præcipere.

Reſpondet Gonet: ſe hoc facilè ſolvere ex Soto, quòd conſiſtat præſuppoſitivè in actu voluntatis; alij concomitanter; alij conſecutivè. C. quoad ſubſtantiam N. Contra: *nihil volitum niſi præcognitum*, non autem primò volitum, deinde cognitum; Ergò formaliſſimè eſt voluntatis actûs.

Præterea, vel per legem poſitivam intelligunt actum voluntatis confirmantem legem naturalem, vel præcipientem ea quæ legis naturalis non ſunt, ſi primum, jam dixi me de illo non loqui, alter verò actus eſt illius potentiæ, quæ præcipit, jubet, mandat, imperat, ſed hoc ſoli voluntati liberè puta competit; Ergò &c. imò non malè quidam hac doctrinâ fulti docent legem naturalem non debere cum tanto rigore legem dici, ſi comparetur ad leges poſitivas mediatè divinas plerúmque liberas; ego tamen abſolutè ſentio quòd propriè lex ſit, ſed non libera. Cæterùm ex ſequentis quæſtionis ſpeciali doctrina hæc

hæc ultrò patebunt, quisquis candidus eſt, fatebitur actum liberum pertinere ad voluntatem, neceſſarium ad intellectum: ſed libera alia, alia verò eſt naturalis; Ergò &c.

Reſpondebunt fortè: non omnem poſitivam eſſe liberam. Contra: cæteri actus ſunt confirmativi legis naturalis, in quibus proinde illa non niſi conſecutivè conſiſtit.

Objicies: loca permiſcuè, & ſignatè ait Gonet, eſſentiale eſt legi obligare ſubditum ad agendum, vel omittendum aliquid, ſed ſola voluntas ſuperioris non obligat ſubditum, quantumcunque illam cognoſcat (deberet eſſe illam) donec ipſi intimetur; Ergò &c. Reſpondeo: cæcum palpare, quòd plus Scotiſtis faveat Author ille quàm Tho. imò inferret conſiſtere in intimatione; at Minor eſt falſa loquendo de lege libera. Reliqua ex dictis facilè ſolves. Finaliter tamen legem conſidera vel in ferente, vel in tabula, vel quatenùs cognoſcitur à ſubdito; quæſtio procedit quà in ferente eſt, maximè de libera: nam naturalis in ſe eſt ipſa ratio per modum ideæ, quam agnoſcit ipſe DEus, adeòque hæc in ſe eſt conceptus objectivus, ùt in agnoſcente illlam, eſt actus intellectûs.

E QUÆ-

QUÆSTIO III.

An poſſit diſpenſari in Lege naturæ?

DIco: in Lege naturæ moraliter nunquam diſpenſari poteſt, benè tamen Theologicè. Hæc eſt nullius quantum ſcio, pro cujus intelligentia

Præmitto: quòd hi termini *moraliter*, ac *Theologicè*, ab alijs omittantur, vel hypotheticè pro eodem confundantur, uti dicam de indifferenti actu contra P. Unzowski; interim autem illos ſic declaro: quando aliquid eſt rationi conforme, tunc juxta me eſt moraliter bonum, ſi difforme malum, & hoc neceſſariò, at nullus hujusmodi actus eſt neceſſariò *Theologicè bonus*, hoc eſt: *ad finem ſupernaturalem* conducens, *Deus enim* ex Ambr. *videtur à quo vult, & quando vult*, ſubintellige ſupernaturaliter: *Theologicè* igitur bonus eſt ille, qui conducit ad finem ſupernaturalem, proinde dico, & ſentio, quòd poſſit dari *aliquis* actus contra legem naturæ, id eſt: qui ſit poſitivè difformis rationi, & tamèn ſit *Theologicè* bonus: & hoc voco poſſe diſpenſari in lege naturæ *Theologicè*: *moraliter* verò nunquam, omnis enim actus moralis vel eſt bonus, vel malus poſitivè, ut infrà docebo, ex quo manet probata prima pars.

Probo

Probo autem quòd *Theologicè* poſſit diſpenſari aliquando ad minus. Poteſt fieri ut actus moraliter malus ſit Theologicè bonus; Ergò Theologicè poteſt diſpenſari in lege naturæ. Propatur Antecedens: poteſt actus poſitivè rationi difformis conducere ad vitam æternam; Ergò actus moraliter malus, poteſt eſſe Theologicè bonus. Probatur Antecedens: tollere vitam filij innocentis, flores inverſo ordine plantare &c. ſunt actiones poſitivè rationi difformes, ſed hæ actiones Abrahamo, & obedientibus Laicis in ordine S. Franciſci fuerunt qroficuæ ad ſalutem; Ergò &c.

Reſpondebunt fortè Diſtinguendo ultimam Majorem: tollere vitam, plantare &c. ſunt poſitivè rationi difformes actiones, ſi conſiderentur præciſe. C. quatenùs fiunt ex obedientia N. Contra: iſtæ actiones etiamſi ex obedientia Dei fiant, & Theologicè ſint bonæ vel meritoriæ, revera tamen rationi ſunt contrariæ: hæc enim perpetuò dictat in genere moris, id eſt: humano modo loquendo, non debere vitam prolis tolli à parente, non debere transverſim flores plantari &c.

Reſpondent alij: hæc non eſſe præcepta illis lege propriè dictâ, ſed impropriâ. Contra; nihil obſtat quin Deus mandet

 per

per Superiorem ut ſubditi famem patiantur, vel ſaltem cibos manducent minùs conducentes ad ſanitatem, ſed famem pati, manducare tales cibos eſt moraliter malum; Ergò &c. Confirmatur: hinc vocat Apoſtolus ſe ſtultum propter Chriſtum, quia adimplebat illa, quæ ſæculo, & rationi humanô modó videbantur contraria. Nec dicas: videbantur, ſed revera non erant. Contra: in genere moris, prudenter præciſâ fide quis negabit ſtultitiam eſſe, corpus ita miſerè tractare: ponamus, quòd rationi non ſit difforme, hoc verum eſt in ſenſu fidei, non autẽ hac præciſâ, & moraliter; in obſequium enim fidei captivamus rationem, & illa quæ humanæ prudentiæ ſunt difformia facimus. *Dixi* notanter *aliquando*, agendo enim in Theol. vel alibi de lege & Decalogo, examinabo an omnis actus moraliter malus poſſit Theologicè bonus eſſe, & fortè reſolvam quòd omnis actus proximè reſpiciens creaturam, non autem Deum ipſum.

Probatur & declaratur adhuc: lex naturæ eſt actus intellectûs dictans ac imperans ſuô modó bonum eſſe amplectendum, malum fugiendum; Ergò actus huic regulæ conformis eſt ſemper bonus, difformis ſemper malus moraliter; Ergò nunquam mutari, vel diſpenſari propriè poteſt,

teſt, ut talis actus conformis cenſeatur malus, velècontra, niſi Theologicè.

Obijcies: ſi Deus poſſet diſpenſare in lege naturæ, poſſet diſpenſare in præceptis Decalogi, hoc non; Ergò. Probatur Minor: præcepta Decalogi volunt Deum eſſe ſuper omnia diligendum, atqui in eo diſpenſare non poteſt; Ergò &c. Reſpondeo tranſeundo Majorem, Diſtinguendo Minorem: non poteſt diſpenſare moraliter. C. Theologicè ſubdiſtinguo: in his quæ proximè Deum concernunt. C. proximum N. ab actu enim ad potentiam arguebam.

Inſtabis: non minùs præcepta Decalogi proximum concernentia ſunt de lege naturæ, quàm Deum; Ergò vel in ambobus, vel in neutro Theologicè diſpenſari poteſt. Reſpondeo Negando Conſequentiam: quia creatura eſt legi liberæ Theologicè omnimodè ſubjecta, at non Deus, licèt morali & naturali, imò ipſe Doctor Sub. in 3. d. 36. & in 4. d. 17. q. 1. huic doctrinæ favet.

Inſtabis: mentiri, furari &c. ſunt lege naturæ prohibita, & proximum reſpiciunt immediatè, ſed in his Theologicè diſpenſari non poteſt; Ergò &c. Probatur Minor: nemo enim per mendacia poteſt venire ad cœlum, per furta &c. Reſpon-

 deo

deo tranſeundo Majorem, Negando Minorem: cujus Probationem Diſtinguo: per mendacia & furta prohibita. C. caſu quo mandarentur à Deo N. Nec dicas: eſt impium dicere, puòd Deus poſſit alicui mandare ut mentiatur, ut furetur. Reſpondeo: hoc rudioribus dici, non illis qui ſciunt, quid ſit homicidium revera magis naturæ contrarium, & tamen mandavit hoc Abrahamo, & ille hoc volens facere per obedientiam meritus eſt, ſic ſi mihi mandaret Deus, ut furarer, & poſtea mentirer, revera facerem.

Inſtabis: Deus Abrahamo tantùm mandavit hoc voluntate ſigni, non facti. Reſpondeo: hoc ex conſequenti Theologos dicere cùm factum non ſit; cæterùm mater Jacob mandavit facto, & Jacob Patrem actu decepit, per actum moraliter malum, at Theologicè bonum. Ex quo patet, quàm lepidè Maſtrius omnes pro ſe citet, quòd mendacium nunquam licitè fieri poſſet, & quòd, quando Deus homicidium præcepit, quòd ſola materia ſit mutata; quæro enim, ſi Deus mihi mandaret ut mentirer, tibi ut patrem occideres, quodnam legi naturæ, vel rationi magis videbitur contrarium, ſanè utroque caſu rationi contrairetur, at quia Deus eſt & vitæ, & actionum Dominus, hoc nobis mandare poſſet. In-

Inſtabis: Ergò licèt dicere, quòd per furta, mendacia, & ſimilia poſſimus lucrari cœlum. O pulchra & nova doctrina! Reſpondeo: per illa prohibita N. mandata. C. & retorqueo: per homicidia, fornicationes, per furta, Abraham, Oſeas, Iſraëlitæ meruerunt. O ſtupida & antiqua objectio!

Inſtabis: furta, mendacia &c. ſunt prohibita, quia mala, ſed prohibita quia mala non poteſt Deus mandare; Ergò &c. Reſpondeo Diſtinguendo Majorem: reſpicientia immediatè Deum N. creaturam tranſeat: ſic Diſtinctâ Minore N. Conſequentiam. Si iterum dicas: cur in his non in illis? dico: quia creatura in ordine ad finem ſupernaturalem dependet à Deo omnimodo.

Inſtabis: Deus irrationabiliter ageret, ſi mandaret quæ ſunt contraria naturæ. Reſpondeo Diſtinguendo Aſſumptum: loquendo independenter à fide tranſeat, dependenter N. *dixi* tranſeat, quia & ratio evincit, Dei judicia eſſe inſcrutabilia, proinde tamen dato hoc quis crederet Deum homicidia, uſum uxoris alterius præcepiſſe; niſi ſcriptura revelaſſet, in his ergò cauſis cur Deus hæc fecerit, non licèt nimium ſcrutari, ſed ex facto licèt inferre, quòd

talia poſſit. Si dicas: mutaret rerum naturas. Reſpond. Theologicè, non aliter.

Colliges: authoritate humana de facto poſſe diſpenſari quoque in quibusdam præceptis naturalibus theologicè, non quidem purè humanâ, ſed conceſſâ à Deo, v. g. ſi quis ex obedientia flores transverſo ordine plantaret; & ſi petas: in quibus, vel an in ſingulis? Reſpondeo: quantum ex revelatis permittitur, & ubi ſpiritus ſanctus cor ſubditi inflammat, ut virtute obedientiæ motus legem, vel præceptum acceptet; leguntur enim Sancti quidam ex obedientia ſe voluiſſe in ignem, aquam præcipites dare, hoc tamen intellige cum acceptione ſubditi; & ſi dicant legem debere eſſe honeſtam ac juſtam; Ergò rationi diſſona mandari nequeunt. Dicito hæc moraliter eſſe diſſona, Theologicè non ſemper. Hæc donec rurſum de legibus, epikeia &c.

DISPUTATIO IV.

De Virtutibus Moralibus.

NEque hic de virtutibus agam ea, quæ Theologi cum ſumma ubertate pertractant, ſed generalia quædam Ethico digniſſima, ut ex virtutis notitia creſcat amor, ac induſtria.

QUÆ-

QUÆSTIO I.

Quid ſit Virtus moralis, & in quo ſubjectetur?

DIco: Virtus eſt habitus perficiens animam, diviſa in Intellectualem, & Moralem. *Moralis* verò eſt: *habitus in voluntate reſidens quâ quis benè operatur*; diviſa in *Philoſophicam & Theologicam*; prima eſt, quâ quis benè operatur in genere moris; altera in ordine ad ſalutem. Concluſio habet diverſas partes tum communem, tum ſingularem doctrinam continentes.

Explico mentem meam, quæ talis eſt: quòd virtus generaliter ſit definienda, *habitus* id eſt: qualitas perficiens animam, vel ſubſtantiam intellectualem, ut comprehendatur angelica, & in hoc facilè conveniunt Ethici ac Theologi: deinde dico: quòd anima dupliciter perfectionetur veritate, & hoc virtute intellectuali, ac bonitate orta à virtute moralì, de qua in præſenti, quam proinde definio: *habitum in ſola voluntate reſidentem quâ quis benè operatur*; in qua definitione ly *ſola*, eſt contra Tho. qui docent eam quoque in appetitu ſenſitivo hominis politicè voluntati ſubjecto reſidere, cujus oppoſitum doceo cum Sco. & D. Bonav. in 3. d. 33. eſt & alia difficultas, an benè operari ſit eſſentiale vir-

 tuti,

tuti, negantibus Scotiſtis, affirmantibus Thomiſtis, quam ſpero me feliciùs expediturum per doctrinam de legibus traditam, & ſæpe coroborandam. Divido enim virtutem moralem, vel in voluntate reſidentem, in *Ethico-Philoſophicam*, ac *Morali-Theologicam*; prima eſt habitus in voluntate, quâ quis operatur benè in genere moris, id eſt: conformiter legi naturæ in ordine ad finem naturalem, vel præſcindentem; alia in ordine ad finem ſupernaturalem, nam actus virtuoſus in genere naturæ, poteſt eſſe Theologicè malus v. g. ſi cui religioſo mandatur ùt flores transverſim plantet, ſi ille ordine naturæ rectò plantet, moraliter benè agit, at malè Theologicè: &ècontra alius Theologicè benè, moraliter malè agit v. g. Abraham volens necare filium; ex qua diviſione omiſſa, plurimi confuſiſſimè procedunt, nunc

Probo prævié definitiones & diviſiones regulis conſuetis; accedit quòd Ariſt. 2. Eth. & alibi cum Aug. definiens virtutem conſonet, & diverſas definitiones tradendo implicitè meas diſtinctiones putaverit, dicit enim mòdò, quòd ſit: *habitus electivus, & bonum reddens, modò ſapientis animi qualitatem* Aug l. 1. de moribus Eccl. c. 6. addunt. quam Deus operatur in nobis, ſinè nobis, ſed hoc vel eſt de Theologica, vel natura rationali putandum. Pro-

Probatur deinde quòd virtus moralis in ſola voluntate ſubjectetur, Probatur inquam: virtus moralis eſt duplex, ſed utraquè ſubjectatur in voluntate; Ergò. Probatur Minor: alia eſt quæ ordinatur ad alterum v.g. juſtitia, alia quæ non ordinatur ad alterum v. g. temperantia, & fortitudo, ſed & hæc, & illa; Ergò utraque. Probatur Minor: de his quæ non ordinantur ad alterum, nam de prioribus concedunt Thomiſtæ: virtus intellectualis ſubjectatur in intellectu: Ergò virtus moralis in voluntate. Probatur Conſequentia: virtus intellectualis debet habere ſubjectum naturalem potentiam; Ergò moralis liberam, & electivam, qualis eſt ſola voluntas.

Reſpondent: ſolam voluntatem eſſe liberam intrinſecè & ſimpliciter. C. appetitum tamen ſenſitivum per participationem fieri liberum, vel propter conjunctionem in anima, vel propter motionem ipſiùs voluntatis applicantis appetitum. Contra: ſi actus appetitûs ſenſitivi tantùm participent ſecundariò rationem liberi, ſic quoque tantùm honeſti, & boni erunt, adeoque nec generabuntur in illa potentia, ſed primariò liberâ. Confirmatur: virtus moralis ſimpliciter eſt electiva; Ergò reſidet in ſubjecto ſimpliciter electivo.

Reſpondent: virtutes ordinatas ad alterum

moralis, quæ difficultates patitur, ſed has patitur ſolus apetitus ſenſitivus ex illo ad Rom. 7. *video aliam legem in membris meis*: Ergò, &c. Reſpondeo Diſtinguendo Majorem: ſi cætera requiſita adſint. C. his abſentibus. N. deinde falſa eſt Minor, nam in voluntate eſt timor & dolor, & ſi non eſſent paſſiones huiuſmodi ſuperandæ in illa, tamen ipſam ſufficit eſſe ſimpliciter electivam boni, cùm poſſit eligere malum.

Inſtabis: voluntas ex ſe eſt ſimpliciter determinata ad bonum; Ergô ipſa ratione electionis non debet poni ſubjectum virtutis, ac vitij, cùm contraria ſint in eodem. Reſpondeo Diſtinguendo Antecedens: determinatione quæ ſignificat affectionem juſtitiæ- C. quæ ſignificat affectionem commodi. N. hoc eſt: ipſa deberet quidem eligere bonum verum, ſed eſt indifferens, & contrariè, & contradictoriè: imò ſi nec hoc eſſet, non obſtaret, quia in intellectu eſt virtus, at quia *moralis* virtus in illa ſubjectatur, debet eſſe indeterminata, idem eſt de vitio; unde ad locum Apoſt. dico: voluntatem ex ſtatu conjuncto pati quidem arduitatem in operando, cæterùm intellectum plenè judicare, & illam pleniſſimè eligere.

Inſtabis: licèt voluntas non eſſet determinata ad bonum, tamen nequit ſubjectare

re

re virtutes non ordinatas ad alterum; tum quia non eſt moderativa paſſionum; tum quia & in Angelis forent contra Ariſt. 10. Ethi. tum quia ſuperfluunt in voluntate. cùm ipſa ſic libera ſit ad benè operandum. Reſpondeo minimè ſuperfluas eſſe cùm in humana voluntate ſint paſſiones ſupradictæ, & in Angelis eſſe poſſint tales, quæ non habent connexionem corporis, v.g. tolerare injurias &c. inquit Maſtrius.

Inſtabis: ſaltem in ſola voluntate non erunt, cùm appetitus ſenſitivus præ ſe ferat quocunque opus eſt, & Ariſt. 3. Eth. c. 3. dicit: fortitudinem ac temperantiam eſſe partium irrationalium. Reſpondeo: omnia quæ P. Gonet affert ſolùm evincere: eſſe ibi virtutem analogicè, vel potius umbratilem, ſuppoſita communi doctrina Animaſticæ, quam tamen ventilabo apprimè; unde ſi Arriaga contendat, non eſſe ibi virtutem, infert quòd nulla propriè dicta.

QUÆSTIO II.

An dentur Virtutes morales per ſe infuſæ?

DIco: non dantur Virtutes morales per ſe infuſæ. ità Sco. in 3. d. 36. art. 3. cum ſuis, contra Thomiſtas & RR. qui opinionem Scoti temerariè temerariam vocant, vi-

vitioſè calumniantur. Senſus eſt, an præter Theologicas *fidem*, *ſpem*, *& charitatem*, dentur tales virtutes morales quæ *neceſſariò*, id eſt: *per ſe* petant à Deo infundi, & à natura ipſa acquiri nequeant, nam licèt Chriſto, & primis parentibus virtutes aliæ infuſæ fuerint, hoc per accidens erat, poterant abſolutè acquiri, negativa opinio

Probatur primò: vel per virtutes morales AA. ij intelligunt conducentes ad ſalutem, vel non conducentes; ſi primũ, has ego Theologicas voco, proinde cum ijs hic mihi non eſt quæſtio; ſi ſecundum, ſic arguo: natura rationalis debet habere principia inſita in ordine ad finem, medium & modum naturaliter acquiſibilia, ſed omnes virtutes morales vel finem, vel medium, vel modum naturaliter acquiſibilem reſpiciunt; Ergò naturæ rationali debent eſſe inſita principia ad tales virtutes. Confirmatur: præter indolem ingenitam, id eſt: potentias animæ ſufficiunt virtutes acquiſitæ; Ergo ad nihil excogitatæ illæ virtutes per ſe infuſæ, at quia, ut dixi ante hac, confundunt virtutes morales cum conducentibus ad ſalutem, proindéque ſuppoſitum negare poſſent, hinc

Probabitur ſecundò in Theologia mea, quòd nec dentur aliæ virtutes per ſe infuſæ, quàm Fides, Spes, & Charitas, quia Apoſt. inquit:

inquit: nullam virtutem prodeſſe, ſi Charitas non adſit; Ergò & in ordine ad finem ſupernaturalem abundant: ſed pro Ethicis hìc jùbet Plato quieſcere.

Obijcies: Concilium Viennenſe, Catechiſmus Romanus, diverſi Pontifices Clemens V. Innoc, III. docuerunt tales virtutes dari à Deo infuſas præter Spem, Fidem, & Charitatem. Reſpondeo: ſi omninò verùm eſſet, loquerentur de moralibus præciſè, ac Ethicis. N. de moralibus confundendo eas cum Theologicis tranſeat, quia nec ìd verum eſt, niſi extendendo Charitatem.

Inſtabis: non modò verum eſt de Theologicis, ſed etiam purè moralibus, ut rationi conformentur, & ordinentur ad finem ſupernaturalem, quod in homine Chriſtiano neceſſe eſt, ſi enim ad talem finem non ordinentur, gratìs ſunt omnes morales virtutes. Reſpondeo: implicare in terminis *purè moralem*, & ordinatam ad finem ſupernaturalem, morale enim, vel eſt idem quod *naturale* oppoſitum ſupernaturali; vel præſcindit: quòd autem de facto omnis actio moralis debeat eſſe regulata ad ſalutem per accidens, eſt ex ordinatione Dei, qui proinde habitum Charitatis pro generali aliarum virtutum fomento, & ſupplemento dedit. Plura de hoc puncto Theologus. Quæ-

Quæres: an virtus conſiſtat in medio? Reſpondeo affirmativè: & ſic declaro, virtus moralis, & intellectualis conſiſtit in medio; Ergò generaliter hoc de virtute dici poteſt. Probatur Antecedens primò de intellectuali: nam illæ ſuis objectis nec tribuunt quod non habent, nec demunt quod habent; Ergò &c. Antecedens patet: quia habens, v. g. ſcientiam jam de natura angeli, nec illi aſeitatem dat, nec rationalitatem tollit: idque tam de practicis, quàm ſpeculativis, prudentis enim eſt, nec per exceſſum, nec per defectum regulare artefactum. Deinde de morali, quæ duplex eſt, Philoſophica, & Ethica, utraque conſiſtit in medio; Ergò. Probatur Minor: nam Philoſophicæ, v. g. Temperantia, Fortitudo &c. tales ſunt quæ nec exceſſum nec defectum tolerant, moraliter loquendo, cæterùm poteſt aliquis velle potius mori, quàm caſtitatis florem amittere, qui excederet proinde humanitus loquendo, talis imprudens eſſet, niſi dependenter à fide aliter loqueremur: tandem & Theologica virtus in medio ſita eſt, non quidem ex parte objecti, quia non poſſumus ſatis amare Deum, ſed ex parte actûs, v. g. plus vel minùs credere, quàm oportet, præſumere & deſperare, non diligere

ligere ſummum bonum ùt oportet, quin & odio habere, de quibus ſingulis in futurum.

QUÆSTIO III.

An, & qualem connexionem habeant Virtutes morales?

DIco: Virtutes morales non habent neceſſariam connexionem, quin una poſſit eſſe ſinè alia, ita Sco. in 3. d. 36. & Ariſt. 7. Ethi. contra ſcholam Thomiſticam, & Neutriſticam, quarum prima abſolutè connexas eſſe aſſeverat; alter incedens mediâ quaſi viâ docet remiſſas quidem ſeparari poſſe, at nullam virtutem perfectè poſſideri poſſe & in ſummo, quin & aliæ habeantur moraliter loquendo, quibus Maſtrius n. 97. videtur ſubſcribere, licèt n. 99. noſtram concluſionem habeat.

Probatur: virtutes morales vel ſunt communes, vel convenientes determinato ſtatui, v. g. communes ſolent eſſe Cardinales virtutes, *Juſtitia* tribuens cuique quod ſuum eſt; *Prudentia, Fortitudo* & *Temperantia* (quæ principaliores ſunt, & velut cardines concludunt bonitatem omnem) determinatæ, v. g. Religio, Caſtitas, Paupertas, ſed nec priores cum poſterioribus, nec priores inter ſe habent neceſſariam connexionem; Ergò &c. Probatur

batur Minor: primò enim poteſt aliquis eſſe juſtus ut nulli ullam injuriam faciat, & tamen incaſtè vivere, vanam gloriam ſectari, & poteſt quis caſtè vivere, & tamen opus bonum omittere, *nec* enim *caſtitas magna eſt ſinè bono opere, nec opus bonum ſinè caſtitate, ſed ſi utrumque agitur &c.* ait Greg. Papa hom. 12. in Evang. ubi obſerva me loqui de moralibus Ethicè, non Theologicè, niſi quis per Prudentiam, vel Juſtitiam intelligeret virtutem tantam, quâ nec Deus, nec proximus moraliter offenderetur, in tali enim latitudine utique eſſe non poſſent cum vitio, ſed adhuc fortè cum omiſſione actuum aliarum virtutum, ac proinde ſinè illarum habitu: ſic etiam poteſt quis temperatè vivere, & tamen alteri injuriam facere, ùt in avaro contingere poſſet, vel etiam ob motivum laudabile, conſervationem vitæ temperans eſſe, & ad ditandas proles ſurari quæ ſua non ſunt.

Reſpondent Tho. ad hæc & plura ſimilia; Ergò non habent neceſſariam connexionem *inter ſe* tranſeat, cum tertio quippè Prudentia N. Contra: vel Prudentia eſt ſpecialis virtus, vel ſumunt eam in latitudine ſuperiori, ad ſecundum jam patet, ſi primum, ipſa poteſt haberi ſinè virtutibus determinati ſtatûs, & ſinè hac, vel illa Car-

dinali; tùm experientiâ; tum quia poteſt quis quotidie exercere actus unius virtutis præ alia, qui generant habitum conſimilem, tùm quia ſicut diverſa factibilia petunt diverſas artes, ita agibilia diverſas prudentias, nam nec intellectûs determinat omninò voluntatem, nec Prudentia ſimplex qualitas eſt, in omni genere virtutes ſingulas comprehendens, ùt ſignatè de illa probabitur.

Reſpondent Neutriſtæ: inferri quòd poſſint ſeparari ſi ſint in gradu remiſſo, & alij Phyſicè. C. at moraliter N. quòd una poſſit eſſe in ſummo gradu, quin alias ſocias habeat. Contra: poteſt aliquis temperatiſſimè vivere quia vitam longam amat, & per eam Deo diutius ſervire intendit, & tamen ob timorem incaſtè vivere, quo caſu licèt materialiter tantùm incaſtè viveret, formaliter tamen amitteret fortitudinem. Nec dicas: hoc eſſe verum de virtutibus in gradu moraliter perfecto, at non heroico, & abſoluto. Contra: licèt quidem fiat, ut ante talem gradum actus aliarum virtutum præſertim communium exerceantur, contingit tamen defacto nonnunquam oppoſitum, inveniuntur enim temperatiſſimi & injuſti, prudentiſſimi, ſed hìc & nunc timidiſſimi; & ſi dicas: eòipſò imprudentes. Contra: ma-

materialiter, quia timor non minuit formaliter habitum Prudentiæ, quæ ſpecialis eſt virtus, quòd ſi tamen Prudentiam & intrinſecè, & extrinſecè in latitudine dicta perfectam ſumas, lis erit de nomine, nam talis non dicitur tantùm prudens, ſed ſimpliciter moralis, ſicùt habens perfectiſſimum viſum, qui nec à tactu, nec alio ſenſu impeditur, ſimpliciter ſentiens potiùs, quàm videns eſt.

Confirmatur: perfectiones ſenſibiles non ſunt connexæ, nec Theologicæ, niſi ſtatum gratiæ diceres eſſe omnibus connexum, ſic enim fateor neminem virtutem hanc, vel illam habere, niſi ſit Ethicus, & ratione utens, ultrò definitio virtutis moralis convenit Temperantiæ ſinè Fortitudine; Ergò &c. ubi adverte me perfectas virtutes morales ſinè Charitate admittere, at non Theologicas, quo ſenſu Janſeniſtæ ſœpè meliùs loquuntur, quàm alij Theologi.

Reſpondent alij: non eſſe connexas ſimultate inſtantanea. C. ſimultate brevis ſpatij N. docentes quòd perfectè unam poſſidens, brevi tempore neceſſe, & alias habeat. Contra: eſtò hoc frequenter fiat, non ſemper; Ergò nec Phyſicè, nec ſemper moraliter connectuntur, neque actus virtutis Temperantiæ, formaliter, neque

 vir-

virtualiter, ſunt actus Caſtitatis, quin poſſet quis temperatè vivere, ut eò liberiùs libidini vacaret, cujus uſus in ebrijs dicitur difficilior.

Obijcies I. campum Authoritatibus ſcatentem, præterquam quòd his aliæ opponi poſſent. Reſpondeo: SS. Patres velle, quòd nulla virtus ſit ſalutaris, niſi homo abſolutè ſit in ſtatu gratiæ, unde volunt virtutes morales Theologicè, non Ethicè ſumptas, eſſe connexas negativè. C. poſitivè N. hoc eſt: nulla valet ad ſalutem, ſi in eodem ſubjecto ſit habitus, vel actus oppoſitus alteri, v. g. qui eſt in uno peccato mortali, illi nullæ virtutes proſunt, & hinc concatenatas volunt. Sic omnia ſolves.

Inſtabis: dato quòd Patrum Authoritates ſic ſolverentur, Ethnici Ethici nón agnoverunt virtutes ſalutares, & tamen morales connexas docent, vide Cicer. 2. Tuſculanarum quæſt. Ariſt. l. 2. Magn. Mor. neque aliæ virtutes ſinè Prudentia ſunt. Reſpondeo: iterum illos velle eſſe connexas cum Prudentia ſumpta pro ratione. C. ſumptà pro virtute ſpeciali, & Cardinali N. vel dico eſſe illi junctas, vel poſitivè, vel negativè, hoc eſt: ut quis verè dicatur prudens, licèt alias virtutes non poſſideat, tamen tenetur ab actibus oppoſitis abſtinere. In-

Inſtabis: poſitivè debent jungi aliæ virtutes Prudentiæ; Ergò &c. Probatur Antecedens: vir prudens debet poſſe reſiſtere paſſionibus contra Fortitudinem, Temperantiam &c. ſed hæc reſiſtentia nullibi eſt, ubi non ſunt illæ virtutes Fortitudo &c. Reſpondeo Negando Antecedens. Probationis Majorem Diſtinguo: reſiſtentia quadam generali, id eſt: rationis uſu. C. ſignatè oppoſita N. deberet quidem fieri & poſſet eſſe, imò ſœpè fit, ſed ſœpius non fit; hinc Scotus aliam vocat Prudentiá generalem, aliam ſpecialem.

Obijcies II. virtus moralis in ſtatu perfecto inclinat ad benè, & delectabiliter operandum, ſed hoc exequi nequit, niſi ſit connexa alijs; Ergò neceſſe eſt, quòd connectantur. Probatur Minor exemplis: mulier caſta, ſed avara, vel timidia, vix poterit ſervare caſtitatem, oblata enim pecunia peccaret; & juſtus non liberalis facilè injuſtus fieri poſſet. Reſpondet Poncius ad hæc: tali caſu mulierem materialiter incaſtam fieri, quia non ex motivo voluptatis; ſed præterquam quòd ſic ſatisfieri poſſit, meliùs dicitur, quòd caſta avara ſimpliciter adhuc caſta manere poſſit, puta ſi caſtitas ſit perfecta, imò puto me tales noviſſe, *vix* ergò inferret ſœpe oppoſitum, non abſolutè.

 In-

Inſtabis: ſaltem cum Prudentia, & Juſtitia omnes cohærent. Reſpondeo ſi ſumantur ſecundùm perfectionem & eſſentialem, & extrinſecam. C. ſi ſumantur prout ſunt ſingulæ virtutes N. & ſi Gonet inſtet, Prudentiam partialem non eſſe pro reſcindendis extremis, quibus exceſſus, vel defectus committatur, dico: per partialem, potiùs ſpecialem non intelligi actû quendam, ſed habitum Prudentiæ qui non eſt ipſa ratio latiſſimè, ſed una virtus intellectualis dictans circa finem, & media in ordine ad bene, ac malè agendum: reſpirat Ethica.

DISPUTATIO V.

De Actibus Humanis.

QUanquam tota Ethica de Actibus Humanis agat, occurrunt tamen ſpeciales quædam controverſiæ quæ per antonomaſiam de actibus humanis pertractantur, pro quarum notitia ac ſolutione, ſit

QUÆSTIO I.

An detur Actus moralis indifferens?

DIco: non datur Actus moralis indifferens in individuo, imò nec Phyſicè quoad ſpeciem. Concluſio habet duas partes, quarum prima de individuo eſt con-

contra Scotiſtas mordicùs actum moralem indifferentem in individuo tueri volentes, altera eſt contra Thomiſtas propter ly *Phyſicè* : utramque partem rariùs defendunt alij.

Explicatur quoad primam partem, quia quæſtio an detur actus indifferens in individuo duplicem ſenſum habet, nempe: an detur actus medius, vel indifferens inter meritorium, & demeritorium, ad quod reſpondeo affirmativè, & puto ſic omnem Catholicum teneri dicere, ſi enim quis in ſtatu gravis delicti jejunet, vel ſuccurrat proximo ex fine honeſto, per hoc nec meretur, nec demeretur, utì docent Theologi; deinde apud Ethicos quæritur, an detur actus humanus cum ratione liber, qui nec ſit Ethicè malus, nec bonus, & hoc nego, ac demonſtrativè oſtendam non dari, ſciat autem prudens lector alios Authores hanc diſtinctionem plerùmque diſſimulare, prout & ipſe P. Unzowsky aliquando fecit, quem tamen per hoc nolo lædere, quin orbi litterario teſtari cupio Eximij viri hujus induſtriam, ac ſcientiam, quo non obſtante hìc, & in Theologia illum ſæpe impugnabo. Quantum verò ad alteram partem, non nego quidem dari objectum ſecundùm ſpeciem indifferens, hoc eſt: de ſe nec malum, nec bonum, ſed nego

go dari Phyſicè actum in ſpecie indifferentem, quod & ipſe Gonet docet, agnoſcens ſub ſola præciſione talem actum, unde huic non immoror.

Probatur autem quod non detur actus in individuo in differens moraliter: vel eſt quæſtio de actu humano, vel hominis, ſi ſecundum, gratìs do, illum nec laude, vel vituperiô dignum, v. g. ſi ſtulti, vel infantes quid agant, ſi primum, vel de illo Ethicè, vel Theologicè conſiderato, ſi ſecundum ceſſo, ſi primum, ſic arguo: omnis actus humanus debet eſſe cum ratione liber; Ergò, &c. Probatur Conſequentia: ſi ille actus liber eſt conformis rationi, erit bonus, ſi difformis malus; Ergò, &c.

Reſpondent velociſſimè: hoc eſſe magnum Jovis incrementum, riſúque ſolvunt, & dicunt poſſe actum eſſe difformem vel poſitivè, id eſt: malum, vel negativè difformem, id eſt: indifferentem.

Contra: hi neſciunt quid dicant, nam actus negativè difformis rationi, non eſt humanus, ſed hominis, v. g. actus infantis quo v. g. vult ambulare, levare feſtucam, in individuo nec eſt elicitus, aut imparatus conformiter rationi, nec poſitivè contra rationem.

Confirmatur: etiamſi doceatur actum malum moralem conſiſtere in poſitiva diffor-

formitate, adeóque medium dari, tamen ille actus non eſt humanus, ſicut licèt detur ſubſtantia, quæ nec eſt rationalis, nec irrationalis, hæc tamen non eſt animal, quòd eſt genus proximum, ſicut & humanitas ad bonitatem, ac malitiam. Hæc breviter dicta bene conſidera.

Obijcies: plurimas Authoritates S. Hyeron. & aliorum dicentium: eſſe quædam ſivè feceris, ſivè non, nec juſtitiam, nec injuſtitiam habebis, &c. Reſpondeo: quòd velint dari actum indifferentem in genere gratiæ. C. in genere moris. N. vel Subdiſtinguo: qui ſit humanus. N. qui ſit actus hominis tranſeat. Hanc diſtinctionem primam palam diſſimulabat Author ci.

Inſtabis: cum Thom. eòipsò quòd homo rationis uſum habens, eliciat actum hominis non humanum, peccat, quia tenetur omnes actus ſuos referre ad ultimum finem, vel Deum; Ergò nequidem datur actus hominis indifferens in utentibus ratione. Reſpondeo: falſam eſſe Thomiſtarum opinionem, quòd natura obligaverit hominem, ut omnes actus in finem naturalem dirigantur ſub peccato naturali, & quòd Deus de facto obligaverit hominem, ut omnes actus ſui in finem ſupernaturalem dirigantur ſub peccato Theologico, ver-

verba, Apoſtoli. *omnia facite*, &c. ſunt conſilij, non præcepti, quod abundantiùs alibi monſtrabo.

Inſtabis cum Scotiſtis: non tantùm actum hominis, & medium inter meritum & demeritum dari, ſed verè moralem indifferentem, inter bonum & malum moraliter ſumpta, medium, ita enim docet Doctor Subt. in 2. d. 41. expreſsè; S. Bonav. univerſus Ordo Minorum. Reſpondeo: me poſſe illos explicare, quòd loquantur ſuppoſitâ ſententiâ quæ docet moralitatem conſiſtere in ſola libertate, quam multi tribuunt Sco. ci. d. 40. ſic enim actus rationi conformes, difformes & poſitivè, & negativè humanos admitterem, & quòd ſic intelligat colligo ex verbis ultimis, *ſed etiam de actibus liberè elicitis*, aliàs ita accuratè loquens addidiſſet, ſed etiam de actibus cum ratione liberè elicitis; unde in forma Diſtinguo: & loquitur de inadæquatè humanis. C. adæquatè talibus. N. at quia candidus ſum, dabo quòd Scotus moralitatem in utroque ponat, dico: argumenta Scoti inferre, dari quidem indifferentem, ſed non humanum, ſaltem adæquatè.

Colliges: omnia argumenta Thomiſtarum ſolvi, quòd detur quoad ſpeciem præciſivè loquendo, & quaſi Metaphyſicè,

non

non Phyſicè, Scotiſtarum verò concedendo medium inter meritum & demeritum, imò & ſingularem, medium inter bonum & malum Ethicè, indifferentem, ſed hic actus humanus non eſt, niſi inadæquatè, ſed hoc non ſufficit, aliàs & actus infantis humani dicerentur, ut ſi ratio ſolùm eſſet conditio, non eſſentia moralitatis, nunquam indifferens plenè humanus erit, quam doctrinam hactenus nemo propoſuit.

QUÆSTIO II.

An Actus externus ſuperaddat moralitatem interno?

DIco: Actus externus ſuperaddit interno moralitatem. ità Sco. in 2. d. 1. 2. q. 4. cum ſuis adverſus Scholam Thomiſticam, & Neutriſticam, ex quibus tamen moderni Authores mitiùs diſputant, concedunt enim actui externo ſpeciale præmium, vel pœnam accidentalem, proindéque & moralitatem ſecundùm quid, non ſimpliciter, ſed hi vix non conſentiunt ex dicendis. Concluſio permiſcuè eſt intelligenda de morali actu Ethicè, & Theologicè ſumpto, & ſenſus eſt, an qui habet voluntatem efficacem tam benè, vel malè agat, quàm qui voluntatem habet & occaſionem, ac proinde opus exercet, v. g. an vo-

voluntas efficax fornicandi, vel martyrium. quod non

Probatur primò authoritate S. Aug. 13. de Trin. cap. 15. dicentis: *malâ voluntate, vel ſolâ quilibet miſer efficitur, ſed miſerior poteſtate, quâ deſiderium malæ voluntatis adimpletur.*

Reſpondent: miſerior miſeriâ pœnæ. C. quia ob actus externos incurrunt mulli Cenſuras, &c. culpæ. N. Contra: & culpæ, quia actibus externis adduntur præmia ad minus accidentalia v. g. aureola martyri actuali, & leges graviùs puniunt delicta externa, quàm interna.

Reſpondent proinde: addi moralitatem ſecundùm quid, & quaſi completivè, ac etiam extenſivè tranſeat, ita ut ſit ſpecie, vel numero diſtincta malitia, vel bonitas in actu exteriori ab illo interno. N. Contra: circumſtantiæ quædam numero diſtinctam moralitatem addunt; Ergò ad minus exterior actus talem addet; deinde actus exterior æquè natus eſt fieri conformis, vel difformis legi, ac internus; Ergò, &c. Nec dicas: exterum conformari eodem dictamine, quo interior, nam & duo interni ſunt eodem dictamine recti, & tamen diſtinctam moralitatem habent, & ideo ſunt duo in genere moris, quia uterque natus eſt conformari.

Pro-

Probatur ſecundò: actus malus externus addit interno malitiam; Ergò moralis quicunque moralitatem. Probatur Antecedens: aliàs non teneremur externum actum confiteri, ſed ſufficeret dicere habui deſiderium efficax peccandi.

Reſpondent diverſi diverſa: *primò* aliqui actum externum in confeſſione debere dici, quia illi ſœpe ſunt annexa ſcandala, Cenſuræ. Contra: licèt horum nihil ſit annexum, requiritur ejus expreſſio, ut conſtat praxi continua. *Alij* quia efficax deſiderium nequit exprimi; ſed experientiâ convincuntur, ut ſi quis diceret, verè feciſſem ſi occaſio erat.

Reſpondent alij debere exprimi: quia malus eſt malitia exiſtente in actu interno. C. externo. N. & nos teneri ad hoc quia Chriſtus mandavit, & quia magis erubeſcit peccator ob commiſſum actum externum, v. g. ob amiſſam virginitatem, quàm ob deſiderium ſemel amittendi. Contra: hæc omnia plus favent Scot. doctrinæ, cur enim mandâſſet, cur erubeſceret peccator, niſi quia actus ille malitiam augmentavit.

Reſpondent: augmentavit complectivè & accidentaliter. C. per diſtinctam malitiam. N. talis enim non duo peccata, ſed unicum fecit. Contra: licèt dicatur

unum

unum peccatum unitate graduum, ſicut calor ùt ſex verè eſt unus calor, una qualitas, tamen interior per exteriorem ad minus intenditur; *dixi* ad minùs, nam ratio allata plus requirit quàm ſolam intenſionem, ſcilicet & extenſivè majus delictum probat. Confirmatur ex præmijs v. g. indulgentijs in vita, aureolis in cœlo dari ſolitis propter actum externum. Nec dicas: velut propter conditionem. Contra: ſi id valeret de actibus involuntarijs, ſufficeret, verè quis per homicidium externum demeretur, per jejunium meretur, ſaltem accidentale quid ultrò.

Probatur tertiò: decem ſunt præcepta Decalogi; Ergò actus externus interno malitiam addit: Sequela oſtenditur: aliàs fruſtra uno præcepto vetaret Deus: *non furtum facies*; altero: *non concupiſces rem proximi.* Reſpondent cum Gonet: ideo diſtinctè prohiberi, nè deſiderium ſolùm à peccato eximeret aliquis, præſertim cum deſideria rei alienæ,& venereorum ſint obvia. Contra: gravis peccatum eſt duo præcepta Decalogi ad eandem tabulam pertinentia tranſgredi, quàm unum; imò ſi actui externo jungantur circumſtantiæ ſcandali, &c. ſpecie nova accedit moralitas; Ergò. Si quis hoc neget, reducatur

ad

ad praxin in confitendo, & ad illud *à dicto* efficaci *ad factum, eſt magnus tractus.*

Probatur quartò: ſi actus bonus externus non adderet bonitatem, illi qui illum exercuerunt non tenerentur DEO majores gratias agere, quàm illi, qui deſiderium habuerunt, ſed oppoſitum conſtat in politicis, & Divinis, quòd ſolennes gratiæ agantur, non tam pro deſiderio hoc, vel illud exequendi, quàm pro fœlici executione, quam ſingularis gratia concomitatur. Confirmatur: ille actus ſingularem numerô diſtinctam bonitatem habet, ad quem Deus ſingulariter concurrit, & pro cujus executione ſpecialis Divina, & angelica directio eſt.

Obijcies I. voluntas pro facto reputatur, & qui viderit mulierem &c. jam mœchatus eſt; & Deus benedixit Abrahamo, qui voluit immolare Iſaac; & Eccleſia de S. Martino canit, quòd palmam martyrij non amiſit. Reſpondeo: has Authoritates, & oppoſitas prudenter conciliandas eſſe, quòd cæteris paribus ſpecificè, & quoad præmium eſſentiale valeat idem. C. numericè cæteris paribus N. ſic dico: quia Petrus habens deſiderium ut 6. plus meretur, quàm Paulus ut 3. licèt ille actū externum ponat, non ponente Petro, ſicut

cut illud Luc. 11. de vidua mittente duo minuta explicitè.

Obijcies II. quoties eſt nova moralitas debet eſſe nova libertas, at in actu externo non eſt nova libertas; Ergò &c. Probatur Minor: actus externus eſt volitus; Ergò in illo non eſt libertas. Reſpondeo Negando Minorem. Probationis Antecedens Diſtinguo: ſumptus objectivè. C. formaliter ſumptus eſt volitus N. nam volitio alia eſt elicita, alia imperata, idem eſt de libertate, quæ imperata in exteriori eſt.

Inſtabis: licèt actus externus libertate gauderet, tamen non eſt diſtinctè imputabilis, cùm ſit inſtrumentum. Reſpondeo nihil horum eſſe verum, quia & ſolemus laudare abuſivè inſtrumenta, hinc illud: *Beata ubera quæ lactarunt Chriſtum*, præterquam, quòd exterior actus non ſit inſtrumentum, ſed actus voluntatis imperatus, & in illo eſt bonitas, ac libertas modô imperatô.

Obijcies III. ſequeretur quòd exercens actum homicidij, vel adulterij, duo numero diſtincta peccata homicidij feciſſet. Reſpondent Bonaventuriſtæ: eſſe duo materialiter, id eſt: duos actus circa eandem materiam, quorum unus eſt internus, alius externus. Sed conformius Phyſicæ Nego Sequelam: ſicut enim calor ut

4. vel 6. eſt tantùm una qualitas, licèt & extendatur flamma, ità & hic eſt unum homicidium, cùm malitia per executionem eſt intenſior, & extenſior, quàm ſi fuiſſet in ſolo deſiderio etiam efficaci: cætera de præmio eſſentiali conciliabis: vel dic: ſi per dualitatem intelligant necem duorum N. executionem ultra deſideriū, id eſt: unum in mente, & deinde in executione, tranſeat loquendi modus.

QUÆSTIO III.

An Voluntas moraliter unum ex æqualibus poſſit eligere, ac etiam minus bonum?

DIco: quando proponuntur duo media æqualia in ordine ad eundem finem, voluntas poteſt eligere unum ex ijs quà talibus, imò ſi proponantur duo inæqualia, minus bonum ac utile eligere poteſt. Eſt contra Vasquez, & Gonet, ac plurimos Tho. apud Scotiſtas quæſtio non eſt obvia; de minori bono tamen ſic intelligo, quòd id, quod à parte rei minus bonum eſt, & etiam tale ab intellectu agnoſcitur, eligi poſſit, ita tamen ut intellectus delectabilitatem aliquam præponderantem honeſtati, quæ eſt à parte rei, & cognita ſupponitur, præfigat.

Probatur prima pars ex Aug. 12. de civ.

 Dei

Dei c. 6. *eadem pulchritudo mulieris ſi proponatur duobus hominibus æquè corpore affectis, & animo, & uterque æquali tentatione dæmonis urgeatur, poteſt unus ex ſuo arbitrio aſſentire, & alius diſſentire*; Ergò & unus ex æqualibus eligere poteſt unum.

Probatur ſecundò: proponantur homini famelico duo panes æquales, talis unum ex ijs comederet; Ergò eligeret unum ex æqualibus. Nec dicas: debere prævie in uno pane bonitatem aliquam majorem præ alio agnoſcere, ut moraliter eligat, hoc voluntariè experientiæ obtruditur.

Reſpondent: quòd eligeret indeliberatè unum. Contra: non loquor de extremè famelico, ſed cognoſcente ſingula, quid vetat eligere ideo unum quia æquale & alteri. Nec dicas: non propriè eligi, quia eligere videtur ſignificare unum præ alio accipere. Contra: hoc ſemper neceſſarium non eſt, ſed ſufficit voluntas viſa ratione boni libera libertate exercitij, ſiquidem alia eſt electio æſtimativa, alia intuitiva, prior duntaxat præ-eligit.

Probatur & altera pars: vel intelligunt A. A. ij id, quod à parte rei eſt minus bonum non poſſe eligi, & hoc manifeſtè contradicit experientiæ, quâ homo cœleſtia deſerit, & vana amplectitur, vel volunt quòd non poſſit minùs bonum eligere cogni-

gnitum, v. g. ſi quis agnoſcat cœleſtia eſſe meliora vanis, quòd tunc vana ſequi nequeat, & hoc quoque patet eſſe falſum adeò, ut ſit axioma: *video meliora, probóque, deteriora ſequor*: vel tandem intelligunt quòd intellectus debeat præfigere aliquam bonitatem, v. g. quia liber ſum, tamen minùs bonum eligam, ubi agnita libertas eſt motivum majori bonitate apparenti, vel præfixâ præditum, & hoc ſenſu concedo, minùs bonum quà tale moraliter eligi non poſſe, ratio eſt: quòd nequeat ferri niſi in bonum, ſivè verum, ſivè præfixum, ſivè apparens: & ſic P. Berulle Scotiſta videtur ſentire; imò ipſe Ariſt. ubi docet medium comparatum ad unum extremum, videtur aliud; Ergò minùs bonum comparatum ad majus, ut minùs bonum videtur malum, comparativè licèt, non abſolutè.

Objicies I. contra primam partem: à principio indifferenti quà tali, non poteſt exire actio, niſi prius determinetur ab alio; Ergò voluntas non poteſt moveri ab uno medio ex æqualibus, niſi prius ad unum determinetur. Reſpondeo: illud principium Commentatoris ſic eſſe ſolutum, niſi determinetur vel in actu primo, vel ſecundo. C. neceſſe in actu primo N.

 ne-

neque in ſecundo ab alio voluntas in ordinarijs juxta me determinatur.

Inſtabis : voluntas ſeipſam in actu ſecundo determinans ad unum ex æqualibus, impropriè eligeret, quia 3. Eth. c. 3. *quod cæteris ex conſultatione prætulimus, id eligimus.* Reſpondeo : non eligi æſtimativè, C. intuitivè N. ſed propriè, quia cognitâ ratione boni liberè procedit, quod ad propriam moralitatem eſt ſatis.

Objicies II. minus bonum, etiam quà tale & comparativè ad majus, eſt bonum; Ergò poteſt eligi. Reſpondeo Diſtinguendo Conſequens : poteſt eligi cum præfixa bonitate conſiſtente in libertatis uſu, vel alio. C. ſinè tali bonitate N. de Antecedenti quoque lis eſt.

Inſtabis : minus bonum comparatum ad majus, æquè retinet ſuam bonitatem, ac albedo ùt 3. comparata ad albedinem ut 6. retinet ſuam albedinem ; Ergò ſinè præfixa alia bonitate, ipſum ſufficiens eſt ad ſui proſecutionem movendas potentias. Reſpondeo : etſi in moralibus Diſparitas ſit, cùm dependeant à famulante intellectu, adhuc Negando Conſequentiam : Concedo quidem, quòd eligi poſſit etiam præſenti majori, & cognito tali, ſed volo intellectum ſuggerere debere quoddam aliud motivum, quod conjunctum minori

minori bono ipſum è ſtatu minoris levat, & potiùs eligendum æſtimativè, vel æqualiter electione intuitiva movet, & ſic quoad hanc partem conciliabis differentes genias; recurret idem diſp. ſequenti.

DISPUTATIO VI.

De Conſcientia.

DEmùm de propinqua actionum humanarum regula Ethicè loquendum, ità tamen ut humano-ſacra Ethica hoc potiſſimùm complemento tradita videatur, proinde ſequitur

QUÆSTIO I.

Quid, & quotuplex ſit Conſcientia?

DIco: Conſcientia eſt actus intellectûs inferens aliquid hìc & nunc agendum, vel omittendum eſſe, connotativè, ac terminativè multiplex, quippè recta, probabilis, dubia, ſcrupuloſa, & erronea. Ità moderni Ethici, ac Theologi communiter, licèt particulam inferens raRò inſinuetur, eſt autem definitio contra Originem l. 2. in Epiſt. ad Rom. volentem quòd ſit ſubſtantia ſpiritualis; & contra nonnullos docentes eſſe potentiam, vel habitum, ſed hi fortè putârunt radicaliter, non pro for-

mali, item contra quoſdam putantes eſſe actum voluntatis, contra quos omnes.

Probatur & declaratur prima pars: tùm regulis bonæ definitionis; tùm Athoritatibus; Eccl. 7. *ſcit enim conſcientia noſtra*, Gen. 43. *non eſt in conſcientia noſtra quis poſuerit &c.* 2d Corinth. 5. *ſpero & in conſcientijs veſtris nos notos eſſe*, hinc S. Bern. l. de Conſc. c. 8. vocat *eam cordis ſcientiam*. Damaſc. l. 4. de fide *noſtri intellectûs legem*; Baſil. teſte Sannig. *naturale judicatorium*, &c. tùm quia exprimitur per eam in quo conveniat, & diſconveniat cum ſynderesi; ſcientia, & opinione morali, hæc enim ſunt actus intellectûs cum hoc diſcrimine, quòd ſynderesis ſit judicium de principijs univerſaliſſimis, v. g. bonum eſt amandum, malum fugiendum, ſcientia verò moralis, eſt actus inferens univerſaliora neceſſaria, opinio contingentia, at Conſcientia infert ex principijs ipſius ſynderesis, quomodo hic & nunc agendum; hinc dicitur Conſcientia, id eſt: ſcientia cum circumſtantijs.

Declaratur & altera pars maximè communi calculo recepta: ſi enim diviſio Logica in quinque univerſalia claritatis cauſa ſit dilatata, quantò potiùs in moralibus proxima actionum regula dilatanda, & explicanda fuit. Dicitur ergò primò:

Con-

Conſcientia recta, quæ eſt judicium dictans hìc, & nunc eſſe aliquid agendum, vel omittendum, ex cauſis prout ſunt à parte rei, v. g. poſitâ ſynderesi, quòd bonum ſit amandum, & ſummè ſummum, rectaConſcientia infert, me teneri ad amorem Dei: ex quo patet ſecundò: Conſcientiam *erroneam* eſſe dictamen inferens ex cauſis aliter quàm ſint à parte rei, v. g. inferens fornicationem eſſe licitam, quia videtur opus inclinationi naturali conforme, dicitur tertiò: *ſcrupuloſa*, quando ex motivis levibus dictat quid faciendum, vel omittendum, v. g. tempore jejunij veſperi nihil calidi ſumendum, quia calidum nimis nutrit, ac ſapit, eſt enim ſcrupulus aliqualis error, imò ſi iſtis motivis firmiter adhæreat, eſt verus error. Quartò: *dubia* Conſcientia ponitur, quæ eſt judicium ſuſpenſum, quo quis non plus aſſentitur, quàm diſſentitur, & hoc quidem poſitivè ad excludendam omiſſionem ſi detur, hinc dicitur animi perplexi hærentia; quæ alia eſt practica, id eſt: tendens in operationem, v. g. volo die dominicâ pingere, ſed dubito an licitè, vel illicitè, quia legi in uno, quòd liceat, in altero quod non; alia *ſpeculativa*, vel præciſa, quæ ad nihil ſe extendit, v. g. quis cogitat an liceat, vel non, pingere tali die, & hoc vocatur *dubium*

G 5 *juris*,

juris, dum hæſitatur an ſit præceptum, dum verò quis hæret an ſecerit, vel non, dicitur dubium facti. Tandem eſt Conſcientia *probabilis*, *dictans aliquid ex motivo, juxta æſtimationem communem rationabili non certo, nec omninò incerto*, porrò tale motivum duplex eſt, ſcilicet authoritas, & ratio; & hinc probabilitas quoque duplex eſt, *extrinſeca*, vel ab authoritate, *intrinſeca*, id eſt: à ratione, ubi adverte authoritatem præcipientem eſſe certam, conſulentem facere probabilem, adeóque ubi plures authoritates, ibi major probabilitas extrinſeca, ubi plures rationes, ibi intrinſeca. His adde Conſcientiam *tutam*, *vel ſecuram*, judicium inferens ex motivo non ſolùm rationabili, ſed moraliter certo, dico *moraliter*, quia ſi demonſtrativè certum eſt motivum, dicitur ſcientia, & Conſcientia infallibilis: aliæ claſſes coincidunt, v. g. *fatua* cum erronea, *anxia* cum ſcrupuloſa, vel ſubinde dubia, *vincibilis* & *invincibilis* patent ex dictis; ubi ſciendum eſt, Janſeniſtas diſtinguere invincibilitatem in aliam juris naturalis, aliam juris poſitivi, *naturalem*, vel ortam ex peccato originali, volentes non excuſare, quod falſum eſt, etiamſi daretur, quia cæcitas, phrænesis, & alij defectus, ex hoc orti non imputantur; Ergò nec facta cum tali invincibili Conſcientia. Col-

Colliges ex his: quomodo Conſcientia radicaliter ſit anima, vel ſaltem potentia illius, & quomodo ab alijs actibus tùm intellectûs, tùm aliarum potentiarum, diſtinguatur, & quòd non ſint idem Conſcientia certa, & tuta, nec tuta, & probabilis, quod quàm diligentiſſimè obſervandum pro ſequentibus.

QUÆSTIO II.

An liceat ſequi Conſcientiam, vel opinionem minùs probabilem in concurſu probabilioris?

DIco: non licèt unquam ſequi opinionem minùs probabilem in concurſu probabilioris. Hæc eſt famoſiſſima controverſia hujus ſæculi, in qua tres opiniones referuntur; *primò* enim aliqui docent, licere minùs probabili in concurſu probabilioris in quacunque materia uti, pro qua neminem explicitè citare volo, ob rationes Ethicas: *altera* extrema docet, quòd *nunquam* liceat ſequi minùs probabilem in concurſu probabilioris, id eſt: nec in materia morali *Ethicè*, nec *Theologicè* conſiderata, hanc ego omninò amplector, eámq; docuerunt Gerſon, Major, Amicus, Philalethus, Comitolus, Merenda, Bellarminus, Mercorus, Fagnanus, Sinnichius, qui eam ex plurimis Canoniſtis, & Juris-Con-ſultis

ſultis deducunt, P. Gonzalez Præpoſitus Generalis Soc. Jesu, eam uberrimè propugnat, & licèt ſuos ad eam proteſtetur ſe nolle cogere, revera tamen conatur facto inducere; Coloniæ Thomiſtæ eam acerrimè tuentur, Lovanij & ubique ab aliquibus mordicus defenditur, alijs per tela, per ignes eam evitare volentibus: P. Gonet monſtrat diverſorum Ordinum decreta, quibus Lectores tenentur eandem tenere, recenſet Ordinem SS. Trinitatis, PP. Theatinorum, Prædicatorum in cap. generali habito Romæ 1655: Ego eandem defendi publicè Paduæ præſente Reverendiſſimo P. Theologo ibidem Publico in via Scoti Fœlice Rotondi, moderno Generali totius Religionis noſtræ, cujus famæ præco eſſem, niſi modeſtia viri vetaret, defendi eam inquam licèt Coloniæ ſub P. Magiſtro Hamblock oppoſitam ſcripſeram, imò & Paduæ lectionibus dicti Theologi interfueram, quibus oppoſitam mirificè exornaverat: porrò hanc ſecundam fovent Summi Pontifices, vide decreta & propoſitiones damnatas 45. ab Alexandro VII. anno 1665. & 65. ab Innoc. XI. anno 1679 combinatas à P. Magiſtro Wiſſing Ordinis Conventualium Provinciæ Colonienſis Profeſſore; Doctor Angelicus & Subtilis quoque in eam plurimùm inclinant, &c.

tertia

tertia & media ſententia eſt, quòd minùs probabilem in concùrſu probabilioris liceat ſequi, exceptis certis caſibus valde gravibus, quales ſunt adminiſtrationes Sacramentorum, applicatio medicinæ in valde debili, ſententiæ ferendæ à Judice, advocatio, bella gerenda, in quibus materijs Inno. XI. ci. vetuit uſum probabilitatum concurrentibus opinionibus probabilioribus; imò P. Generalis noſter caſus hos dilucidavit hac univerſali periodo, quòd minùs probabilem ùt unum, vel duo non liceret ſequi, benè tamen ut 4. 5. &c. adeóque ſi conſideretur illud *ſupremum infimi*, *ac infimum ſupremi*, ille forſitan pro me ſtabit, ùt deſideratiſſima ipſius opera jam perfecta, & in lucem danda dabunt. Hanc tertiam opinionem & primam permiſcuè tradidit *primus dignitate* magnum illud lumen Caramuel, qui adeò probabilitatibus fovit, ùt neſcio quæ (dicerem ſed mortuus eſt) docuerit: qui l. 4. in Dialexi de non certitudine, parte prima n. 292. inquit: noſtram ſententiam hodie exorbitare, & ſub fictis Authorum nominibus plerúmque defendi, alibi in eam fulminat, conjurat Didacus de Avendando Soc. Jesu, & ut dicam omnia, ſententiam , minùs probabilem opinionem licere in concurſu, docent plerique Patres Jeſuitæ, quibus plurimùm favent

Ma-

Maſtrio-Scotici, licèt caſus excipiant, ſi de cæterùm multitudine Doctorum pro, vel contra loquamur, pro utráque ſunt plurimi, ſi non pondere ſaltem numero graves, non ſolùm ex PP. Soc. Jesu, ſed & alijs Ordinibus.

Hoc ego adverti præ alijs, & obſervandum volo, alios confundere hos terminos: *tuta*, *probabilis*, vel ſi non confundant, ſaltem quærunt per idem, an liceat ſequi minùs probabilem, & minùs tutam in concurſu probabilioris, & tutioris, & malè, nam opiniones quas vocant minùs tutas revera tutæ non ſunt, qui enim motivo moraliter certo innititur, quod ad omnem tutam requiro, prudentiſſimè agit, unde dè minùs tuta non loquor, cùm fortè non detur, ſed hìc & nunc de minùs probabili, & quidem *in concurſu* poſitivè diſſeram.

Probatur primò: actiones noſtræ reſpiciunt legem naturalem, vel poſitivam Ethicè, vel Theologicè conſideratam, ſed quomodocunq; conſideretur, non ſunt conformandæ minùs probabili concurrente (quod deinceps ſuppono) probabiliore; Ergò, &c. Probatur Minor primò in ordine ad ſalutem: nam Deut. 26. habetur: *hodie Dominus Deus præcepit tibi, ut facias mandata hæc, atque judicia, & cuſtodias, & adimpleas ex toto corde tuo, & ex tota anima tua*

tua, id eſt: quantùm potes,& non laxè, vel obiter, juxtà minùs probabilem: v. g. quæritur: an liceat pingere ſinè neceſſitate die feſto, probabilior negat, quia *ſanctificabis diem Sabbathi*, minùs probabilis (ponamus) à multis tradita, & non ſinè ratione affirmat, quænam conſonat huic: *adimpleas ex toto corde & tota anima?*

Reſpondent: has eſſe pias rationes, ſed impertinentes, quia præcepta Decalogi tenemur ſervare. Contra: non loquor de præceptis quoad ſubſtantiam, ſed modum, an liceat in ordine ad hoc, vel illo modô ſervando uti minùs probabili, dicunt quòd ſic, ſed eſt nè hoc ex totis viribus ſervare? ſollicitè & valde juxta illud Pſalmiſtæ: *tu mandaſti mandata tua cuſtodiri nimis?*

Reſpondent: *nimis* ſignificare valde, non maximè, ſed hæc ludicra ſunto; Deut. c. 5. dicitur, *cuſtodite ergò, & facite quæ præcepit Dominus Deus vobis*; ecce ſubſtantia præcepti, & ſequitur: *non declinabitis, neq; ad dexteram, neq; ad ſiniſtram*, ecce modus, quem interpretor, non ſcrutabimini nimium volendo omnia certò demonſtrativè hæc ſcire, neque deficietis ſequendo quidquid laxus genius ſuadet, id eſt: nec probabiliſſimâ opus eſt, nec probabili licèt, ſed probabiliori.

Confirmatur: Matt. 7. *quàm arcta via,*

&

& anguſta eſt, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt qui inveniunt eam. Glorientur in multitudine Probabiliſtæ. 2. ad Tim. c. 4. *erit tempus cùm ſanam doctrinam non ſuſtinebunt*, ſed apud veteres erat noſtra concluſio, ùt eſt res manifeſta ait P. Gonzalez diſſer. 3. n. 4. moderni verò laxatores habenas remiſerunt; unde Job. 12. *in antiquis eſt ſapientia*, &c. & Joan. in Epiſt. 1. c. 4. *nolite omni Spiritui credere*, præſertim ijs cum ſuperficiali probabilitate; ſed ad Ephe. 1. *videte Fratres quomodo cautè ambuletis*; ecce laxi moderatores, & certè ſi liceat relictâ probabiliori, minùs probabilem ſequi via non eſt arcta, non eſt cautè ambulandum, antiqui fruſtrà ita ſolliciti fuerunt, audi Hugonem Magn. Carthu. dicentem: *O infœliciſſima Apoſtolorum tempora, O viros ignorantiæ tenebris involutos, &c. qui vias tam duras, ait, cuſtodiebant, & hæc noſtra compendia neſciebant*, hoc probabilitatum initium refert Gonzalez fuiſſe 1571. circiter.

Reſpondent: hæc omnia probare quòd non liceat ſimplicibus ſuadere, ut ſequantur minùs probabilem, ſic etiam benè concludi, quòd ſemper non liceat, in gravi, &c. Contra: væ vobis Phariſæis & hypocritis, aliud docetis, aliud facitis, ſimplices tantùm tenentur vias duras cuſtodire, mandata Dei ſervare nimis, non docti, quaſi

Deus

Deus eſſet perſonarum acceptor, & ſi ſemel non liceat, cur unquam? cùm omnes actiones noſtræ ad minùs ex conſilio ad ſalutem dirigi debeant, nunquid Apoſt. malè loquitur 1. ad Theſſ. c. 5. *omnia probate, quod bonum eſt tenete, ab omni ſpecie mali abſtinete*, probabilior nónne bona eſt, minùs probabilis comparativè, nónne ſpeciem mali, ac improbabilis habet? conſule Ariſto. maximam, *unum extremum comparatum*, &c. Ergò. ad Eph. 4. *non circumferamur omni vento doctrinæ in aſtutia ad circum inventionem erroris*, nam illæ probabilitates viæ fuerunt ad errores & ſcandala parvulis data;

Anno 1695. 22. Auguſti n. 67. Dans La quinteſſence des nouvelles *caſu hæc reperi* Profeſſion de foij de deffunct Monſieur de Chanvallon Archeveque de Paris

Je ne ſuis ni Juif, ni payen,
ni mahometan, ni chretien:
ni reformè, ni Janſeniſte;
Mais Je ſuis un peu Moliniſte.

Cardans la probalitè, les pecheurs ne ſont pas coupables, & tous les crimes ſont probables, pourvu que Deux Docteurs avec Leur gravitè vous en ſoient reſponſables, & les opinions le plus inſoutenables

Ethica P. Schopen.

acquierent peu â peu ſi grande authoritè qu' elles paſſent pour raiſonables.

Ecce fructum probabilitatum, ex quibus hæretici materiam cavillandi habent, imò teſte ipſo Caram. l. 2. fund. XLVI. n. MMCCCLXII. grandis Lutheranus Baſanomenus contra celebrem P. Valerianum Magnum, Cappucinum ſcribens ait, quòd ſicut ſchola Thomiſtica, Scotiſtica, & Nominalis, ſunt magìs & minùs probabiles, ita in Chriſtianiſmo Papiſmus, Lutheraniſmus, & Calvinianiſmus, ubi vides ſi uſus probabilitatum non irrepſiſſet, fortè nec hæreſes, hoc autem infœlici ſæculo, in quo gloriantur Probabiliſtæ, omnia paulatim ad extremum uſque ad ipſum Atheiſmum practicant; & ipſi hæretici ſuos errores probabilitates vocant.

Probatur ſecundò: Authoritatibus SS. PP. Theologorum Principum, Canonum, & Juriſperitorum, S. Chryſ. homil. 44. in Matt. ait: *ſi veſtimentum empturus unum giras negotiatorem & alterum, & ubi meliores veſtes inveneris, & pretio viliori ab illo comparas, an non oportet populum circumire omnes doctores, & inquirere ubi ſincerè Chriſti veritas venundatur, & ubi corrupta, & veriorem plus eligere quàm veſtimentum*, & S. Bern. Aug. Anſ. Baſil. Nazian. citantur apud Merendam, Gonetum &c.

Re-

Reſpondent: inferri quòd aliquando, & maximè in materia ſalutis. Contra Imò: S. Greg. l. 16. mor. c. 16. hortatur ut quotidie ſit hæc ſollicitudo, & cap. 17. ait; quid ad ſecuritatem ſupereſt, niſi ut ſtudioſè ſemper &c. Deinde in materia ſalutis hæc quæſtio maximè verſatur, & in ea Probabiliſtæ plenis buccis per orbem probabilitates diffuderunt; item ad hominem patet, quàm immeritò Caram:, & alij noſtram ſententiam exigui ponderis, & nullius Authoritatis faciant, D. Tho. Quodl. 9. art. 5. Sco. in 1. d. 17. in 3. d. 36. litt. g. & d. 25. favent, imò D. S. in 4. d. 11. diſertè inquit, cùm multis ſit probabilior pars negativa, non ſinè peccato aliquis ſe exponit periculo, ſequendo affirmativam minùs probabilem: quid clariùs? vide pium Merendam qui plura teſtimonia affert.

Accedit quod habetur cap. *Juven.* de *Spons.* cap. ad *audientiam*, cap. *ſignificaſti*, 2. de *homicidio*, cap. *ſi quis*, de *pænit.* diſt. 7. & axioma eſt quòd Clemens V. in Clementina. *Exivi* ait, nempè: *ſecurior pars eſt tenenda*, ſed probabilior eſt ſecurior ubi nulla eſt omninò tuta, vel certa; Ergò &c.

Retorquet Maſtrius: ex hoc ſequi, quando minùs probabilis eſt ſecurior, eam eſſe ſequendam, ſed ponamus quòd ali-

quando ſit ſecurior, tunc eam non licèt ſequi reduplicativè, id eſt: quatenus minùs probabilem, ſed quà tutam, vel moraliter certam, aut ſaltem certiorem. Pro quo

Rurſum ſcias multos hallucinari in terminis ſecurior, vel tutior, & tuta, eò quòd tutior ſit comparativum, tuta poſitivum, ſcias inquam tutam omninò licere, & quando alia eſt tutior, eòipſò prior non eſt tuta, ſi enim aliquid eſt moraliter certum, jam tutiùs eſſe nequit, niſi demonſtrativè, vel per fidem poſitivè; proinde *tuta* eſt moraliter tutiſſima, & plus quàm tutior, illa enim quam minùs tutam tutiori vocant alij, abuſivè tuta dicitur, & cum probabili confunditur.

Probatur tertiò deſtruendo fundamentum oppoſitæ: ideo cenſent licere minùs probabilem, quia Chriſtus dixit: *jugum meum ſuave eſt, & onus leve*, atqui ſemper probabiliorem debere ſequi, non eſt jugum leve, cùm ſcrupulos pariat &c. ſed hoc fundamentum nullum eſt; Ergò. Probo Minorem ſubſumptam: tùm quia loquor de concurſu, ubi ſcrupulis, & inquiſitione opus non eſt, cùm jam probabilior adeſſe ſupponatur; tùm quia jugum ſuave, & onus leve ſignificat duo, ſcilicet revera *jugum* eſſe, & *onus*, id eſt: probabiliorem ſequi, ſed ſuave per gratiam, & leve

per

per charitatem diffuſam per Spiritum S. unde S. Caſimirus: *nil amanti durum eſt*, & Aug. *hic ure, hic ſeca*, igitur ex onere levi, & jugo ſuavi, potiùs noſtrum intentum deducitur.

Reſpondent: Caſimirum, & Aug. exceſſivo amore præditos hæc dixiſſe. Contra: hoc eſtò, primò patet non eſſe impoſſibile ſemper probabiliorem ſequi; deinde meritoriè ſinè gratia nihil, Ethicè ſinè bonâ indole quoque nihil, at gratia, & indoles cum proportione, hoc, quod onus eſt, leve faciunt, ſiquidem teſte Bern. *ſuaviter equitat, quem gratia Dei portat.*

Probatur quartò ad hominem, quo argumento Coloniæ, Paduæ, & alibi ſum uſus, ſinè habita ſatisfactione adæquata: ſic arguo: adeſto Probabiliſta aliquis, ego ſum Probabilioriſta, juxta te eſt hæc propoſitio, *minùs probabilem licèt ſequi in concurſu probabilioris ſemper, vel ſaltem aliquandò*; juxtà me, *nunquam licèt ſequi minùs probabilem in concurſu probabilioris*: jam quæro: quænam ex his eſt probabilior, ſi mea, id eſt: ſecunda; Ergò probabiliùs eſt ſtatim tuam non licere, ſi verò ùt fieri ſolet.

Reſpondeant: quòd prima ſit probabilior (licèt hoc agitetur) ſic arguo: tua eſt probabilior; Ergò mea eſt minùs probabilis; Ergò licèt meam ſequi in concurſu;

Ergò juxta Probabiliſtas licèt dicere: quòd *nunquam liceat ſequi minùs probabilem in concurſu*, utpote quæ eſt mea, juxta ipſos minùs probabilis.

Reſpondit Coloniæ mihi ſtudenti in ſchola Thomeſtica P. M. Hamblock tunc Profeſſor meus, non ſinè rubore quodam, illam ſecundam non licere ſequi, & me eſſe nimis fervidum, ſed diſſimulabam reliqua cogitans.

Reſpondit autem Reverendiſſimus P. Rotondi Paduæ, dum interfuiſſem lectioni ejus publicæ, meam hanc opinionem nec eſſe minùs, nec magis probabilem, & mihi rationes pro ſua expoſuit, ſed revereor utpote Superiorem ſummum dicta privata, donec ex operibus ejus lucem accepero, interim pro mea opinione & Authoritates, & rationes adduxi & adducam.

Reſponderunt alij: eſſe æquivocationem, ſignatè Doctor quidam Viennenſis hic loci multum valens. Contra eſt: quòd ſic ad omne ſtringens liceret dicere; Caram: l. 1. fund. Theol. de univerſitatibus loquens, effundit ſpiritum veritatis, non eſſe idem Doctorem, & Doctum etiam doctum; tace. Reſpondebunt fortè: licere aliquando non hic, quia eſt univerſalis excluſiva; ſed ſic principium petitur. Deinde eſt moralis, vel Ethica.

Con-

Confirmatur ad hominem: non licèt ſequi ſententiam magis dubiam in concurſu minùs formidoloſæ, ſed eſt magis dubium, an liceat ſequi minùs probabilem; Ergò &c. Fateor tamen vix quid probari per hanc Confirmationem, quia deberet poni in Minori, ſed eſt, &c. quàm quòd in concurſu quis *teneatur* probabiliorem ſequi, & ſic Negari poteſt Minor. Confirmatur tamen aliter: ſententia Probabiliſtarum vel eſt certa, idque phyſicè, vel moraliter, vel eſt tantùm probabilis, ſingula impugnabo.

Reſpondent non tantùm eſſe probabilem, ſed probabiliorem, imò moraliter certam. Contra: Ergò noſtram velut minùs probabilem imprudentiſſimè ſequeretur aliquis præſente ita longè probabiliore.

Reſponderunt mihi: hoc eſſe quod illi volunt. Contra: Ergò ſicut noſtram imprudentiſſimè quis ſequitur ex adverſarijs ſcientibus (ùt putant) ſuam eſſe probabiliorem, ita univerſim. Deinde unde iſta moralibus certitudo, ex copia fræna laxantium Caſiſtarum hujus ſæculi? ex damnatis illis propoſitionibus? ex illa Tamburini fortè, *licèt ſequi quamcunque probabilem, dummodo adſit levis ratio*; ex illa Caramuelis: *fornicationem ſimplicem non eſſe peccatum jure naturæ, & ſecundùm ſe*, ex illa Dianæ: *famulo licere concubinam domini adducere, eſto confeſ-*

ſarius ipſi prohibuerit; & ejuſmodi ab aliјs reijci ſolitis? ſanè *extrinſeca*, & *intrinſeca* probabilitas pro mea eſt potior, pro quo

Probatur quintò rationibus: actus moralis debet eſſe conformis rationi ut ſit licitus, ſed ſequi minùs probabilem in concurſu non eſt rationi conforme; Ergò. Probatur Minor: nihil fit conformiter rationi, quod non fit cum veritate, & certitudine poſſibili; Ergò. Minor patet: cùm ſupponatur habere probabiliorem, id eſt: practicè veriorem. Major Probatur: conformitas rationis attendenda eſt penes intellectum dictantem ex motivis his, vel illis, hoc, vel illud eſſe agendum; Ergò ubi intellectus dictat probabiliùs non licere, difformiter illi agitur oppoſitum. Confirmatur: 1. Eth. c. 3. habetur, quàmvis non requiritur Mathematica demonſtratio ad omnem actionem moralem, accuratum tamen examen circa capacitatem &c.

Reſpondent: conformiùs fortè agere, & tutiùs Probabilioriſtam, ſed adhuc conformiter ſequendo minùs probabilem, quia non requiritur maxima inquiſitio veritatis. Contra: ad omnem actionem moralem requiritur ut fiat cum prudentia, ſed prudentia dictat, actiones debere conformari certitudini, & veritati moraliter, ac vul-

vulgariter poſſibili; Ergò quando eſt major probabilitas ſinè inquiſitione, ſinè ſcrupulis, illi adhærendum eſt, & non niſi temerè oppoſitum proſequitur. Exemplificatur: occurrunt duæ opiniones, una quòd liceat pingere die feſto, quia aliqui Authores graves hoc docent, qui ſinè ratione nihil tradunt, & quia eſt ars liberalis, hanc abſolutè probabilem liceret ſequi, at quando occurrit & alia probabilior, quòd plures id vetent, & quòd ex totis viribus &c. debeamus præcepta ſervare &c. quis negabit illico oriri ſcrupulum, ac dubium an liceat pingere, quis negabit his opinionibus adinvicem comparatis, pingentem ſe non exponere periculo peccandi, quod eſt illicitum, itaque cùm minùs probabili in concurſu ſemper adhæreat dubium, ſuam probabilitatem amittit.

Reſpondent: hæc iterum doceri in materia ſalutis, non Ethicè. Contra: etiam Ethicè imprudenter agit qui negativam ſequitur, cùm probabiliùs ſit illam eſſe falſam, quòd enim pro libitu ſuo illi præfigat bonitatem, tranſeat, at licitè in genere moris non procedit, ſed Ethicè peccat.

Confirmatur: ille rationi conformiter non ageret qui deſereret medium demonſtrativum pro affirmante, & ſequeretur probabile pro negante; Ergò & qui ſeque-

retur minùs probabile relicto probabiliori. Nec dicas: hæc eſſe in eodem genere, & probabiliùs poſſe eſſe falſum. Contra eſt: nos putamus rationalitatem eſſe differentiam hominis, idque putamus demonſtrari, & fortè falſum eſt, licèt moraliter ſit commune, ſic licèt probabilior in ſe eſſe falſa queat, quà probabilior tamen cognita illi adhærendum eſt, & lepidè oppoſitæ minùs probabili adjudicaretur.

Probatur adhuc: opinio minùs probabilis in concurſu amittit ſuam probabilitatem; Ergò licèt eam poſſimus ſequi extra concurſum, non in eo. Probatur Antecedens à quibusdam: quia minùs bonum comparatum ad majus induit rationem mali, ſed de hoc vide q. 3. diſp. præc. Probatur aliter: minùs probabilis extrinſecè amittit probabilitatem comparata ad probabiliorem extrinſecè; Ergò etiam ſic de intrinſecè probabili, & conſequenter univerſim loqui oportet. Probatur Antecedens: minùs probabilis extrinſecè eſt, v. g. opinio 3. vel 4. Caſiſtarum affirmantiũ hoc, vel illud, probabilior extrinſecè eſt communis opinio negantium, ſed in hoc concurſu præcisè extrinſecæ probabilitati ſtando ageretur temerè, nam damnata eſt propoſitio: *licèt ſequi dummodò adſit levis ratio*, quantò potiùs ſi levis duntaxat Authoritas.

Re-

Reſpondent aliqui: ſi illi extrinſecæ probabilitati adhæreat directè tranſeat, reflexè N. hoc eſt ajunt: ſi talis conſideret 3. vel 4. illos pios viros debuiſſe pro affirmativa rationes graves habuiſſe, adhuc licere ſequi. Contra: ſic juxta illos intrinſecè fuerat probabilior, & ideò illam illi 4. ſunt ſecuti, ut quoque in praxi experior, v. g. ſequendo opinionem intrinſecè probabiliorem, licèt extrinſecè minùs talem, at argumentum fit, comparando præciſè extrinſecè probabilem minùs, cum extrinſecè probabiliori.

Reſponderunt mihi Paduæ doctiùs: quòd inferatur non licere ſequi minùs probabilem in concurſu, ſi v. g. tantùm ſit probabilis ut 1. 2. vel leviter, non autem ſi ferè æqualis. Conrra: quæſtio non eſt de æqualibus, vel ferè talibus, v. g. affirmârunt 100. negârunt 90. Authores, tunc enim quis poteſt cogitare fortè, & ſunt plures qui negârunt, ſed lis eſt an cognitâ verè probabiliori, liceat minùs probabilem ſequi.

Probatur idem comparando intrinſecè minùs probabilem, cum probabiliori intrinſecè, ſic: major probabilitas intrinſeca deſtruit minorem; Ergò in concurſu perit minor. Probatur Antecedens: majora motiva rationibilia deſtruunt minora;

Er-

Ergò &c. Probatur Antecedens: ab æqualibus ſi æqualia demas, remanent æqualia, ſi verò æqualia demas ab inæqualibus, illud remanet quod in majori ſuperabat, ſed intellectus comparando motiva pro affirmativa & negativa, per priora negativa reijcit, & ècontra; Ergò hoc retinet pro motivo quod ſuperabat æqualitatem, quale eſt id, quod facit probabilius. Exemplificetur in exemplo de pictura die dominicâ, ſi negativa excedat affirmativam, exceſſus ille eſt motivum moralis ſequelæ. Si

Reſponderent: valere de infimis gradibus, arguo ut ſupra; deinde ſi probabile ut 1. comparatum ad probabile ut 3. amittat ſuam probabilitatem, probabilis ut tria quoque comparata ad 5. vel 6. ubi diligenter animadverte, ſi occurrat dubium an non fortè ſint plures Authoritates, & rationes, etiam pro affirmativa, v. g. tunc teneri tutiorem ſequi, juxta illud *in dubijs pars tutior eſt eligenda.*

Confirmatur: medium extremum comparatum ad unum extremum videtur alterum; Ergò minor probabilitas comparata ad majorem, videtur improbabilitas, ſicut major opinio comparata ad ſcientiam, videtur obſcuritas. Nec dicas: videtur, ſed non eſt. Contra: in Phyſicis

cis videtur, at in moralibus quæ dependent à rationis dictamine ſic eſt, utì ratio dictat, hanc confirmationem latè proſequitur Gonet.

Probatur ex abſurdis ſextò: ſi liceat ſequi minùs probabilem, ceſſabit ſtudium morale, non eſt opus ſcribere caſus, ſed ſufficit memoriæ mandare aliquos Authores, qui oppoſitam docuerunt, licèt affirmativa, v. g. ſit longè probabilior, nam nulla eſt etiam ſtupida opinio, quæ quoſdam fautores ſaltem non habuerit.

Reſpondebunt: valere ſi liceret ſequi quamcunque minimam. Contra: ſunt multi qui docent unum doctorem facere probabilem. Nec dicas: ſi ſit vir eximius ſapientiâ & probitate, verum eſt. Contra eſt: ille revera non facit probabilem niſi rationes urgentes, & quæ tali viro probabiliores viſæ fuerunt apud eundem reperiantur; deinde ex hac reſponſione Paduæ frequenter audita nimij ſcrupuli orirentur, ſi enim quis haberet minùs probabilem quam vellet ſequi in concurſu, trutinare deberet an ſit minùs probabilis, ut 1. 2. & in quo gradu probabilior, quod praxin quotidianam moleſtaret.

Confirmatur: hac ratione multi abſurdiſſima ſunt ſecuti, quia judicârunt minùs probabiles, imò ex dictis ipſi hæretici

ſuos

ſuos errores vocârunt probabilitates, ſæpè forſan ex materiali ignorantia, & ob tales abſurditates ex fonte probabilitatum Caramueliſticarum Anno 1664. damnatus eſt liber inſcriptus, JOANNIS CARAMUELIS Apologema pro antiquiſſima, & univerſaliſſima doctrina de probabilitate; Item 1659. 26. Aug. ſub Alex. VII. damnata eſt, Apologie pour les caſuiſtes contre les calomnies des janſeniſtes &c. & varias ſimiles proſcriptiones lege in Clypeo Gonetico. Nec juvat cum Avendano obtundere laudes Societatis, hanc enim & ego veneror, & utinam in omni Ordine ſic floreret ſtudium, ùt in illa, ſed Probabiliſtas non laudo, laudo quidem, ſed in hoc non laudo, & ſciat plebs fidelium quòd P. Gonzalez longè probat non eſſe tot Probabiliſtas, quot ſparguntur, ille plures pro nobis affert quorum nomina texere brevitati conſuetæ obeſt.

Probatur ſeptimò exemplis & ſimilitudinibus: medicus corporis tenetur adhibere probabiliora medicamenta in ordine ad ſanitatem recuperandam, & quis illum laude dignum pronunciaret ſi minùs probabilia adhiberet, ſi ipſi verè probabiliora occurrerent, ſi verò abſolutè tuta noverit ſufficit, quantò potius actiones humanæ,

-næ, præſertim ad ſalutem ordinatæ probabiliori conſcientiæ nituntur.

Confirmatur: Henricus IV. Galliæ Rex interrogavit hæreticos, & Catholicos doctores, in qua fide poſſet ſalvari, reſpondentibus Catholicis quòd in *ſola* Catholica, hæreticis verò & in ſua, & in Catholica ſalvandum volentibus, dignam Henricus ſententiam, & poſteritati memoriam reliquit dicens: ſtultè agerem niſi illam amplecterer, quam utraque pars ſalvificam confirmat, ſic & adverſarij fatentur meliùs eſſe probabiliorem ſequi, & nos id abſolutè requirimus; Ergò hæc legens: *judicium tuum regi da.*

Reſpondet ad hæc omnia quidam: non licere in materia juris. C. in materia facti N. alij in materia ſalutis. C. in Ethicis N. &c. Contra: nunquam videmus prudentem Authorem ſecutum eſſe minùs probabilem, niſi hæc quæ alijs minùs probabilis videtur, ſibi appareat probabilior, vel problematicè ut æquales, vel ex aliquo bono fine ſaltem bonitate præfixâ, v. g. exercendæ libertatis &c. deinde ſi ſemel concedas in concurſu moraliter manere minorem probabilitatem, res erit plena periculo, & infinitis ſcrupulis ſubducta. Tandem examinare hanc, vel illam materiam, in qua alij putant licere, vel non, ſucceſſi-

vo

vo motu alibi continget, & quòd de materia facti, quæ verſatur circa validitatem actûs permittunt, hoc de materia juris quæ concernit honeſtatem actionis probatum eſt; quia qui probabiliùs cognoſcit actionem eſſe illicitam, non adhibet moralem certitudinem, ſequendo ex motivo probabili eſſe licitam, vide Ariſt 1. Eth. c. 3. & de Medico 1. Rhet. c. 1. ubi dicit, *Medici eſt inducere ſanitatem, quoad uſque poſſibile eſt.* Verè Chriſtus dixit Lucæ 10. *filij hujus ſæculi prudentiores filij lucis*, quia in temporalibus probabiliora ſequntur, & non in ſalutaribus.

Obijcies I. fulmen Caramuelis, quod & demonſtrativum putat: per vos (quicunque ſitis) opinio probabilior in omni controverſia requiritur, ſi in omni; Ergò & in hac, *an liceat in concurſu ſequi minùs probabilem*, ſed affirmativa non tantùm eſt probabilior, verùm moraliter certa, negativa enim exorbitat ſub fictis nominibus. Reſpondeo: nec Moniales terreri hoc fulmine, nego quòd affirmativa ſit probabilior, nam conſtat rationes potiſſimas eſſe pro nobis, & Authoritates non modo ex antiquitate plana & plena, ſed & ſæculo præſenti.

Inſtabis: vel ergò debeo ſequi certò probabiliorem, vel probabiliùs probabiliorem.

rem. Reſpondeo: quòd illam quæ mihi poſitivè videtur probabilior, præſertim intrinſecè, quæ ſubinde certò moraliter, ſubinde probabiliùs apparet probabilior. Si dicas: unde hoc ſcire poſſum? dico: quòd Critolaus, dictamen rationis non ſuſtulerit.

Obijcies II. ad ſecuritatem conſcientiæ, & honeſtatem actionis moralis ſufficit *non certitudo* oppoſitæ, ſed in concurſu non eſt certitudo probabilioris; Ergò ſufficit minùs probabilis. Retorqueo primò: ſed in concurſu moraliter improbabilis, & moraliter probabilis, non eſt certitudo probabilis; Ergò licebit improbabilem ſequi. Si dixeris: eſſe moraliter certam & certiorem, idem & ego tibi reſpondeo, exemplum præcepti quod Car. affert facile ruit, quia lex debet eſſe *promulgata.*

Obijcies III. demonſtrationem quam Caram. ſe ſolvere non poſſe præmittit: poſt contractum matrimonium *non ſufficit dubium* ad nullitatem an maritus ſit impotens, ſed ad experientiam debet recurri, quam triennalem poſtulat Jus Pontif. *cap. Laudabimus*: tunc ſic arguit: mille vicibus non potens ſemen intra vas fundere, hunc actum format: *ego hac nocte fundam*

ſemen intra vas, ſed oppoſita eſt probabilior; Ergò licet ſequi non certam, vel minùs probabilem. Reſpondeo: hunc actú licere quà tutum, non quà minùs probabilem, imò videtur eſſe moraliter improbabile, & ſic nimium probaretur. Si dicas: unde tutus? Reſp. quia Jure Pontif. licitus. Si dicas: cur ergò illi licentia datur? Reſp. non quia probabile eſt infuſurum, ſe ne matrimonia illicò ſolvantur cùm poſſit eſſe infirmitas, vel alia diſpoſitio, & ex alijs motivis. Plura cum Caram. extra Ethicam.

Obijcies IV. hæc concluſio: licèt ſequi minùs probabilem in concurſu, eſt longè probabilior oppoſitâ tùm extrinſecè, tùm intrinſecè; Ergò licita. Reſpondeo: ſuper Cathedras Moyſis &c. ſi eſſet probabilior, cur minùs probabilem non docent oppoſitam? falſitas Antecedentis hìc patet per totum.

Inſtabis primò: extrinſecè probabiliſſima, cùm nec damnata, & tot ac tantos Authores, imò quaſi integra duplici integritate Societas illam tradat. Reſpondeo: illos eſſe duplices qui aliud docent, aliud faciunt, lege circa Socie. Jesu P. Gonzalez qui fatetur plures negare, quàm affirmare, quòd ſi omnes, ſed non ego, nemo hoc aſſerit, niſi quia ſibi probabiliùs videtur, dam-

damnata non eſt ex metu gravioris mali. C. aliàs conjecturæ ſunt, quòd damnata fuiſſet, habet ergò plures fautores laxos Juniores. C. conſcientioſos N.

Inſtabis: tot religioſiſſimi ſapientiſſimi viri eam docuerunt, & in praxi exercuerunt. Reſpondeo: ſi hæc per concionem dilatares, illos docuiſſe quia ipſis videbatur probabilior: *licèt ſequi minùs probabilem in concurſu*, & hoc ſuppoſito exercuerunt, religioſiùs eſt idem docere, & facere.

Inſtabis: melior eſt conditio poſſidentis, ſed uſus probabilitatum jam longo tempore floruit; Ergò licitè poſſidetur. Reſpondeo Diſtinguendo Minorem: per fas & nefas, & cum metu errandi. C. ſecùs N. ſolutio ex dictis clara eſt, niſi tempora & mores ſæculi retardarent, laxitatum origo funditùs evulſa per damnationem foret.

Inſtabis: Summi Pontifices ſubinde ſecuti ſunt minùs probabiles, & diſpensârunt in multis, quorum oppoſita fuerunt probabiliora. Reſpondeo: ſecutos eſſe ùt perſonas privatas, ſi verò diſpensârunt, id ex alijs motivis fuit, & ùt tuta, non quà minùs probabilia licita fuerunt, ſupponentes ſibi licere has diſpenſationes.

Obijcies V. Matt. 11. *jugum meum ſuave.*

& Joan. 5. *mandata ejus gravia non ſunt*, ſed ſequi probabiliorem eſt durum & amarum; Ergò, &c. Reſpondeo: ſic etiam hæreticos arguere, dum ipſis jejunia & alia pia opera perſuadentur, deinde quando adeſt probabilior, non eſt durum, præſertim amanti, & in gratia ſtanti.

Inſtabis: qui probabiliorem vult ſequi, ſemper ſcrupulis vexatur, v. g. qui tenet internam animi attentionem requiri in recitatione officij. Reſpondeo: hos pulvillos molles decipere, imò æternùm perdere juxta Ezech. 13. *væ qui conſuunt pulvillos ſub omni cubito manûs ad capiendas animas*, nunquid S. Severinus tam horribiles pœnas ſubijſſe legitur, quòd negotijs implicatus manè totum officium perſolverit, Probabiliſtæ cæci cæcos ducunt per viam ſtratam roſis ad interitum.

Inſtabis: L. *Benignus* ff. de legibus & cap. finali de tranſact. opinio benignior & ſuavior præferri debet, ſed minùs probabilis eſt benignior; Ergò. Reſpondeo: nimiùm probari, quippè *debere* illam ſequi; deinde dico intelligi in dubijs facti in ordine ad infligendas pœnas; alij dicunt benignior ſi ſimul eſt religioſior. C. v. g. ſi eſt in favorem viduarum, puppillorum, &c. ubi circumſtantiæ opinionem extrinſecè minùs probabilem reddunt de ſe probabiliorem.

Obij-

Obijcies VI. licitum eſt prudenter agere, ſed qui ſequitur minùs probabilem in concurſu prudenter agit; Ergò hoc licet; hic eſt Achilles. Probatur Minor: extra concurſum prudenter quis agit ſequendo probabilem; Ergò & in illo. Reſpondeo Negando Minorem, & Probationis Conſequentiam: quia in concurſu videtur improbabilis, juxta illud: *medium comparatum ad unum extremum videtur aliud.*

Inſtabis: concurſus, vel comparatio illa non tollit probabilitatem; Ergò ſi licèt ſequi extra, & in concurſu, licebit. Probatur Antecedens: album ùt 4. comparatum ad album ùt 6. vel argentum comparatum auro, non amittunt ſuum robur; Ergò à pari. Huic in locis ſuprad. gratulabantur mei Adverſarij, donec me audirent. Reſpondeo: Negando Paritatem à Phyſicis ad moralia: hæc enim non ſunt talia, quia ab intellectu cenſentur, at opinio eſt plus, minùs probata, quia talis à ratione judicata, ſi enim judicat abſolutè eſſe prohibitum, licèt non ſit, tenetur abſtinere; deinde retorquebam ex hoc ſequi licere etiam minùs probabilem ùt unum, vel duo, & Tamburini ſententiam quòd ſufficiat levis ratio, nam & album, vel calidum ùt unum, non eſt abſolutè frigidum, id eſt: ſi habeat unum gradum plus caloris, quàm tepidum.

Inſtabis: in quo eſſet illa efficacia, quòd probabile ùt ſex deſtrueret probabilitatem ùt 4. Reſpondeo: quia intellectus in veritatis trutina ponderat ambas, & æqualia demit, ut videat quænam habeat rectitudinem moralem ſufficientem. *NB.* Deinde ſingula retorqueo in omni materia de Medico, Judice, Sacramentorum adminiſtratione.

Inſtabis: ſi amittat in concurſu probabilitatem, ceſſabit quæſtio. Reſpondeo Negando Aſſumptum: quæritur enim an opinio de ſe probabilis & licita, talis maneat ſi oppoſita menti occurrat verè probabilior, & ſi dicant: ſaltem licere illis, qui univerſim docent, licere ſequi minùs probabilem. Reſpondeo: illos potiùs reflexè probabiliorem ſequi, niſi enim univerſalem illam probabiliorem crederent, nunquam in particulari practicarent.

Inſtabis: fides, opinio non deficiunt accedente ſcientia, nec demonſtratio à poſteriori deſtruitur per illam à priori, & minùs bonum poſſumus eligere in comparatione majoris, & in concurſu tutæ ac tutioris, non teneor ſequi tutiorē; Ergò nec probabiliorem, &c. Reſpondeo Negando Conſequentiam: in ſingulis Diſparitas eſt: primò, quæ eſt verè tuta, id eſt: moraliter certa, eſt tutiſſima, niſi reveletur, vel demon-

monſtretur oppoſitum , unde eâ tutior non eſt , ſi autem per minùs tutam aliud dubiam , vel probabilem putes , vel minùs requiras ac ego ad eam , abuſivè tutam dixeris, & utique tutiorem eligere debes; deinde opinio, fides, & ſcientia poſſunt eſſe de eodem objecto materiali per aſſenſum utrinque, quòd enim demonſtrativè illius oppoſitum non licet credere, vel opinari, ſed per hos actus idem quod ſcitur confirmatur, vide Logicam; demonſtratio utraque quoque eſt ad idem affirmandum, proinde nulla paritas. Tandem minùs bonum tranſeat quòd poſſimus eligere, ſed imprudenter, quia ex hoc ſequitur pro me, poſſe quidem ſequi minùs probabilem, ſed illicitè, prout & imprudenter relicto majori, minus bonum eligeret. Vide Sco. in 3. d. 25. q. 1. §. *dico tunc ad propos.* & in fine q. 2. Prologi, ac Card. Lauræam tom. 2. in 3. diſp. 11.

Obijcies VII. S. Bonav D. Thom. Scotus , & innumeri pijſſimi ſunt ſecuti opiniones minùs probabiles , imò ego ipſe in Philoſophia minùs receptas, & quaſi minimè probabi'es videor docuiſſe , & forſitan rariores in Theologia docebo; Ergò manifeſtè hæc doctrina , & aliorum , & propriæ praxi adv. rſatur. Reſpondeo : me nihil docere niſi quod intrinſecè mihi videtur

detur probabilius, quo viſô, parum ſollicitor de extrinſeco, niſi extrinſeca Authoritas ſit præceptiva: ad alios patet oppoſitum ex dictis, & ſi quandoque videntur docuiſſe minùs probabiles, non quà tales, ſed quà tutas cognitas, v. g. licèt ſequi ſententiam, quæ docet ſtatim poſt peccatum eſſe confitendum. Cæterùm illis viſa fuerunt probabiliora ſua documenta, & Scotiſta illicitam putat Thomiſticam, niſi vel æquè probabilem, vel tutam ſaltem ſciat, & ècontra, ùt ex ſcriptoribus liquet, imò generaliter qui ſequuntur minùs probabilem, hoc faciunt ex illa univerſali, quia ſibi perſuaſum habent, quòd liceat ſequi minùs probabilem in concurſu, & hanc probabiliorem judicent, & ſic quodammodo reflexè id, quod minùs probabile volunt defendere, probabilius faciunt, ac tale ſequuntur. De his plura in alijs materijs.

QUÆSTIO III.

An detur Conſcientia cum ignorantia invincibili circa Jus naturale?

DIco: quòd dari queat Conſcientia cum ignorantia invincibili circa *Jus naturale* Ethicè, ac Theologicè conſideratum. Senſus quæſtionis eſt, an illa quæ ſunt Jure naturæ prohibita, poſſint invincibiliter ignorari, ita ut excuſent à peccato, v. g. ſup-

ſuppoſito quòd furtum ſit contra Jus naturæ, an hoc invincibiliter ignorari queat, & quia furari Deus prohibuit ſub pœna damnationis æternæ, idque liberè, ideò furtum eſt contra Jus naturale, à Deo quoque confirmatum; quòd ſit contra Jus naturale eſt Ethicum, quòd & contra illud à Deo confirmatum liberè à Deo, vel ſaltem liberè notificatum, eſt Theologicum, utroque modo diſcutitur, licèt hìc Ethicè primariò; circa quod invenio diverſas ſententias, Caramuel admittit de Jure Theologicè ſumpto poſſe eſſe talem ignorantiam, Gonzalez, Medina citantes pro ſe Cordubam, Sotum &c. permixtim loquuntur, ſed præcepta Juris naturalis diſtinguunt, quædam quæ ſunt velut principia & proxima, & de his negant dari poſſe, alia verò velut concluſiones remotæ ex ijs deductæ, & de his affirmant poſſe dari ignorantiam invincibilem, quibus ſubſcribo.

Probatur primò de lege naturali Philoſophicè ſumpta, quòd quoad concluſiones remotiores ignorari poſſit: præcepta naturalia quædam ſunt univerſalia, quædam particularia & circumſtantionata, ſed licèt priora diu ignorari nequeant, benè tamen ſecundi generis; Ergò &c. declaratur Major: univerſale Jus eſt neminem læde-

re, non mentiri, circumſtantiam eſt non lædere per modum vindictæ, non mentiri ad evitandas rixas, ſed hæc poſteriora poteſt aliquis ignorare; Ergò, &c. Probatur Minor: aliqui Ethici & ſapientes poſſunt hæc invincibiliter docere; Ergò & alius eorum doctrinam ſequi. Antecedens patet in Cicer. qui vindictam admittit propria Authoritate ſumendam L. de offic. cap de juſtitia, quod alij negant. Simile eſt de ſimplici fornicatione ſi purè Philoſophicè loquamur.

Probatur ſecundò de lege naturali Theologicè ſumpta quòd quoque remotiores ſaltem concluſiones ignorari queant: Sancti & pij Doctores poſſunt invincibiliter contraria legi naturali docere; Ergò alius poteſt invincibiliter contra tales concluſiones agere. Antecedens declaratur: aliqui docent hoc, vel illud eſſe naturæ prohibitum, alij negant, cùm in moralibus ſint ſœpè opiniones contrariæ, & quidem utrinque adhibetur diligens ſtudium, imò & preces, & tamen una concluſio eſt falſa, ſed hanc traditam à pijs & ſanctis viris quis negabit alios ſequi poſſe? Ergò, &c. Exempla quæ Gonzalez ex S. Antonino affert de confeſſione, & participatione cum excommunicatis, nihil ad rem, quia horum nihil Jure naturæ mandatur.

Con-

Confirmatur: nullus habet privilegium non errandi circa Jus naturale, ſed hæc confirmatio errorem cum ignorantia confundit, cùm tamen ſit diſcrimen inter ignorantiam, neſcientiam, & errorem, neſcientia eſt enim illorum quæ non tenemur ſcire, ignorantia quæ & poſſumus & tenemur, errare verò eſt aliud credere, quàm in ſe eſt; vide Alexand. Scotum in vocabulario juridico.

Obijcies Gratianus 1. q. 1. c. *turbatur* ait: ignorantia Juris naturalis in omnibus adultis eſt damnabilis; & Gerſon multis locis reijcit ignorantiam invincibilem. Reſpondeo & intelligunt de ignorantia principiorum. C. remotorum ac deſcendentium concluſionum. N. quin Gerſon l. de *vit. ſpirit.* Lect. 2. dicit: ſi detur quòd excuſet à peccato.

Inſtabis: *Deus facienti quod in ſe eſt, non denegat gratiam*; Ergò circa illa quæ quis tenetur ſcire qualia ſunt ea, quæ ſunt legis naturæ, etſi naturaliter poſſit ignorans eſſe, non tamen ſuppoſitâ gratiâ.

Reſpondeo: quòd talis habeat gratiam ſufficientem duntaxat; deinde Nego Suppoſitum quòd debeat quilibet remota quæque Juris naturalis ſcire. Nec dicas: Ergò neſcientia & error erit non ignorantia: Contra eſt; ſi diligens ſtudium adhi-

beat

beat cum ſufficienti gratia, potius ignorantiæ ſpecies eſt, vel neſcientia poſitiva, licèt enim S. Tho. 3. Eth. c. 5. lect. 11. in fine dicat. *difficilia Juris non tenentur omnes ſcire cùm non poſſent*, ille loquitur moraliter & ordinariè, proindeque ibì eſt major capacitas in tali ſtudente, quàm in amente. Sed hæc omnia recoquam, & cum reſponſionibus, ac inſtantijs alibi proſequar.

Colliges finaliter: me Ethicalia hæc pro fructu eorundem, qui ſinè ſcientia Theologica ſe Juri, vel alijs applicant compoſuiſſe; tùm etiam ùt audirem quid alij de hujuſmodi ſententijs teneant, quas proinde forſitan ab alijs confutandas in proximis Theologicæ, ac Canonicæ induſtriæ operibus ultrò firmare poſſem.

O. A. M. D. G.

INDEX CONTENTORUM.

PROLOGUS IN ETHICAM.

DISPUTATIO UNICA.

De quidditate, Objecto, ac Fine Ethicæ.

Quæſtio 1. Quid, & qualis ſit Ethica? 2. Quid ſit objectum Ethicæ? An Ethica ſit neceſſaria?

TRACTATUS UNICUS.

DISPUTATIO I.

De Fœlicitate Hominis.

Quæſtio 1. An Homo in moralibus teneatur habere finem bonum? 2. in quo conſiſtat Hominis fœlicitas?

tas? 3. An Homo poſſit habere duos fines ultimos totales?

DISPUTATIO II.
De Libertate Hominis.

Quæſtio 1. Quid, & quotuplex ſit Libertas? 2. An & qualis Libertas ſit in homine? 3. Quænam paſſiones cauſent involuntarium?

DISPUTATIO III.
De Legibus.

Quæſtio 1. Quid ſit Lex? 2. Quotuplex ſit Lex? 3. An poſſit diſpenſari in Lege naturali?

DISPUTATIO IV.
De Virtutibus Moralibus.

Quæſtio 1. Quid ſit Virtus moralis, & in quo ſubjectetur? 2. An dentur Virtutes morales per ſe infuſæ? 3. An & qualem connexionem habeant virtutes morales?

DISPUTATIO V.

De Actibus Humanis.

Quæſtio 1. An detur Actus indifferens? 2. An actus exterior ſuperaddat interno moralitatem? 3. An voluntas ex æqualibus unum poſſit eligere?

DISPUTATIO VI.

De Conſcientia.

Quæſtio 1. Quid & quotuplex ſit Conſcientia? 2. An liceat ſequi minús probabilem opinionem in concurſu probabilioris? 3. An detur Conſcientia cum ignorantia invincibili circa Jus naturale?

Cætera ubi de his materijs integri Ttactatus exponendi. Sit Nomen Domini benedictum.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

C.

Digitized by Google

PANDIMIGLIO
21 DIC. 1970
LEGATORIA - ROMA

Digitized by Google

BIBLIOTECA